

AUGUSTI TWESTENI
THEOL. ET PHILOS. PROF. E. IN UNIVERS. KILIENSI

# COMMENTATIO CRITICA

DE

## HESIODI CARMINE

QUOD INSCRIBITUR

## OPERA ET DIES,

SCRIPTA

AD IMPETRANDOS AB AMPLISS. ORDINE PHILOS. KILIENSI SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES A. 1813.

KILIAE, 1815.
SUMTIBUS A. HESSII, BIBLIOP. ACAD.

AUGUSTI TWESTENI

# COMMENTATIO CRITICA

DE

# HESIODI CARMINE

QUOD INSCRIBITUR

# ΕΡΓΑ ΚΑΙ ΗΜΕΡΑΙ.

Reputanti mihi litterarum nostra aetate incrementa et progressus non minimum videri solet, quod, multis in rebus molesta quadam confusione sublata, suis quaeque finibus circumscripta sunt, suisque regionibus conclusa. In historia quantum interest, utrum in aetatibus versemur aequalium litteris celebratis, an in iis, quarum memoriam nullis conservatam certis monumentis, sed fama fallaci et saepe iam senescente propagatam, scriptores multis annis posteriores exceperunt! Neque tamen eae diversa olim ratione tractabantur; de Cecrope, de Theseo loquebantur, ut de Pericle, de Alcibiade. Iam vero nemo ignorat, quibus legibus aevi historici inquisitio adstricta sit, iis nonnisi hanc teneri quaestionem: quaenam remotioris aetatis effigies certo quodam tempore mentibus haeserit, quaenam tum de illa narrationes pervulgatae fuerint; in res ipsas si quis inquirere velit, non ad easdem leges iudicium fieri debere. Item res se habet in eo artis criticae genere, cuius provincia est scriptis veterum monumentis

integritatem suam restituere. Nullum olim discrimen factum est inter Homeri adornandam recensionem et Virgilii. Coarguit eum errorem Wolfius, vir in his litteris facile princeps, constituitque terminos, intra quos standum esset, si quis carmina Homerica recensenda susciperet; ostendit enim, non eam esse copiam adscendendi ad Homeri os divinum, quae sit ad aliorum auctorum manum. Videmus igitur in hoc etiam genere duas quodammodo distinctas aetates, et diversa pro differentia earum artis criticae munera. Opera illa *talis exhibendi Homeri, qualis Longino alicui seu alii veteri critico satis placiturus fuisset*, huic simillima est investigationi, quaenam Atheniensium fuerit Periclis temporibus de urbis suae originibus opinio. Campus hic historicus est; quidquid statueris, gravibus testimoniis confirmandum; coniecturis non saepe locus. Sin autem de eo carminum Homericorum habitu quaerimus, qui ante Pisistratum fuerit: non magis, quam si de Cecropis rebus gestis ageremus, vituperationi esse debebit, si neque omni liberaverimus dubitatione, quae nos invenisse arbitramur, et iudicium flexisse ad eas nonnunquam rationes videbimur, quibus solis in illo altero campo non multum proficeretur. Iniquum enim esset, hoc nobis imputari,

quod conditionis est ipsius operae susceptae. Nisi forte omnis eiusmodi perscrutatio repudianda est; quam tamen nec ipse Wolfius [1]), nec alii viri doctissimi [2]) repudiarunt. Mihi quidem nonnisi confusio ista utriusque rationis damnanda esse videtur, quae vel apud eos, a quibus vitari fortasse non potuit, habet tamen, quod animum offendat.

De carminibus Homericis disputanti quod dandum est, nemo est, quin videat, idem ei, qui in Hesiodo operam ponat, tribui oportere. Cuius ego Opera et Dies accuratius identidem cum legerem, miratus sum et argumentorum varietatem maiorem, quam quis pro aevi illius simplicitate uno carmine comprehensam exspectet, et subinde offendit me abrupta multis locis nec satis cohaerens series sententiarum. Auxilium sperabam ab Heinsii [3]) et Mansonis [4]) libellis: sed illi mihi ita non satisfecerunt, ut mul-

1) Prolegg. ad Homerum p. CXXX.

2) Heinrichius in Proll. ad Scut. Herculis; Schneiderus in Orph. Argonaut. p. XXX seqq.; Hermannus in Epist. ad Ilgen. ante Hymnos Homer. posita: ut omittam Vet. Testamenti Criticos sacros.

3) Introductione in doctrin. quae libris Hesiodi Ἔργ. κ. Ἡμερῶν continetur.

4) De Hesiodo, in Additamentis Sulzerianis Vol. III. a pag. inde 49.

tum dubitationes augerent. Abiecta denique illa dissoluta coniungendi cupiditate [5]), plura mihi vel carmina vel carminum fragmenta distinguere visus sum, sive a rhapsodis sive a diasceuastis conglutinata ea et in unum redacta. Quae an recte viderim, si, quid sentiam, breviter exposuero, doctiorum iudicio relinquo.

Cum autem duo quasi fontes sint argumentorum, quibus probetur id, quod explanari volumus, alter, ipsius carminis habitus, alter, si quae aliunde remotioris aevi indicia elici possunt: fundamento quidem carebit ex ipso carmine ducta disputatio, nisi altero argumentorum genere id saltem effectum sit, ut liberum sit nobis, si gravioribus vulneribus offendimur et quae communibus remediis sanari nequeunt, de graviore etiam corruptione suspicari, vetustiore illa, quam quo more usitato penetrari possit; plus tamen iis, quam illam suspicandi libertatem, plerumque non assequimur. Quare cum ne scholia quidem Hesiodea praebeant quicquam, quod auctoritatem addere rationibus ex ipso carmine collectis possit [6]): totum hunc locum

5) Wolf. l. c.

6) Quale fuit illud Porphyrii scholium a Wolfio memoratum (Proll. p. CXXXI.), et annotatio in edit. Aldina Scuto Herc. praemissa (Heinrich. Proll. ad Sc. Herc. p. LXII.).

argumentorum, quae extrinsecus petuntur, omittendum mihi censui. Non enim libebat repetere, quae, postquam Wolfius summo cum acumine summaque eruditione primus proposuit, multorum deinde litteris iam prope in vulgus sunt pervulgata [7]).

Sed molestum est, nobis alium quoque veri cognoscendi aditum esse interclusum; eum dico, qui orationis diversitate saepe aperitur. Quae quanta esse potest in iis carminibus, quae aut uni anctori tribuenda sunt, sive ἀοιδῷ sive ἀοιδῶν scholae [8]), aut certe non ita magnis temporum intervallis disiunctam habuerunt originem? Adde, si quid fuerit diversitatis, de eo diuturnam in ore rhapsodorum commorationem aliquantum deterere debuisse. Praestat igitur, in tanta praesertim singulorum brevitate fragmentorum, totam hanc abiicere demonstrationem, quam nimis videri cupide egisse, et, de quibus rebus in utramque partem disputari possit, iis nimium attribuisse pondus. Itaque maximum mihi vel

7) Hesiodi quoque poemata per partes decantari solita esse (Fabric. Bibl. Gr. Harles. I. p. 573.), a quibusdam esse interpolata (Paus. II. 26. 6.), singulas partes laudari propriis titulis (Fabric. l. l.); de his omnibus non dubitaremus, etiamsi nominatim memoriae proditum non esset.

8) Vel familiae. Wolf. Proll. p. XCVIII.; Heinrich. in Epimenide p. 155 et seqq.

unicum potius praesidium erit in sententiarum vel convenientia vel repugnantia, in coniunctionibus earum vel aptis et genuinum quendam vigorem testantibus, vel ineptis, ieiunis et frigidis, in oratione autem nonnisi quatenus sententiarum interruptus tenor sermonis saepe immutato colore deprehenditur.

At erunt fortasse, qui dicant, longius abhorrere a legitimi carminis didascalici ratione rudimenta istius aevi, quam ut ad ea, quae de apta omnium partium convenientia nostri praecipiant, illa exigere iustum sit. Nihil in dubium vocari non posse, si nodum in scirpo quaeras, nec sane ullam tam accuratam et diligentem meditationem esse, ut non facile tamen, quae parum cohaerere videantur, morosum quoddam et nimis delicatum invenire fastidium possit.

In quo multum equidem ab iis dissentio. Ego enim multo facilius arbitror fore, ut, qui quamvis intento animo in perscrutandi curam incumbat, non animadvertat tamen, si quid minus sit reliquae orationi congruum, quam ut aliena et repugnantia proferat is, cui quidem propositum sit dicere aliquid, non tantum verba facere: id quod observare saepissime in sermone quotidiano licet. Quod autem aliam esse dicunt nostra aetate carminis didascalici rationem,

concedo. Ideone simul concessi, accidere tum potuisse, ut repugnantia coniungerentur? Minime. Imo multo tum aequabilius oportuit sententiarum procedere filum, quam hac nostra ratione. Sint enim in ἀοιδῷ illo nullae artis partes; nihil insit praeter naturam et ingenium, magnum illud quidem, sed quod caeco quodam impetu feratur, non ad iudicii eruditi normam dirigatur. Sit ita: quanquam cavendum est, ne nimis incultos fingamus, quos multi omni disciplina instructi imitari cum vellent, non potuerunt. Sed quid erit, in quo aliter instituat operam suam, si quis nostratium poetarum componere carmen didascalicum paret? Non abripietur, credo, statim prima impulsione; inhibebit gradum, argumentum diligenter expendet, materiam disponet atque ita partibus distribuet, ut nec omittatur quicquam, nec confusi earum fines obstent perceptioni clarae et distinctae. Quae si certo discrimine, ut oportet, separatae erunt: qui provideri poterit, nisi incredibile quoddam in elaborando studium adhibeatur, ne videantur dilabi, *ne commissurae*, ut Quinctilianus ait, *pelluceant, ut corpus sit non membra?* Id autem studium ut prosperrime successerit, semper tamen aliquid restabit minus concinnum; certe ut penitus cognoscamus causas, cur haec

potissimum pars excipiat eam quae antecesserit, recurrendum erit ad poetae in adornanda dispositione consilium; quod quidem ipsum tegere artis est. Vincat igitur ἀοιδὸν illum in eo, quod lucidius explicet quae docere velit, quod subtilius, quae involuta sunt, evolvat, quod e diversis quasi locis, iisque et ad contemplandi suavitatem et ad cognoscendi perspicuitatem aptissime electis, spectanda illa nobis praebeat; vincat etiam callida rerum dispositione et oeconomia: colligatione earum arcta et naturali aut non vincet aut vincetur. Ille enim singulis singula annectens, ut in rem quamque incidet cursu suo, quem semel ingressus est, seu in quem illatus, si ita mavis, ea animi affectione, cuius impulsu in verba sensus erumpit; eum igitur cursum simplicem et apertum nullisque ambagibus flexuosum semper tenebit, aut si deflectet, leges in eo sequetur menti humanae innatas: quas qui norit, non tam libris doctus, quam semet ipsum observando, et qui mediocriter callet in eius quem legit animum ita se quasi induere, ut, quae iste sentiat et cogitet, sibi ipse sentire et cogitare videatur, iisdemque rebus affici et moveri, is de sententiarum coniunctione non laborabit nisi in iis, quae coniuncta esse auctor nunquam voluit. Tantum igitur absum, ut de ista

examinandi severitate remittendum quicquam putem, ut nihil ab hoc genere litterarum alienius iudicem, quam si quis, Heinsium secutus, tam multis ἀφοριστικοῖς καὶ ἀσυνδέτοις, de quibus ille confitetur ipse [9]), non prohibeatur, quo minus Hesiodo tamen consilium tanti pangendi carminis adscribat. Quasi vero aedificium exstruere possit, qui lateres coniungere nesciat.

Sed haec ut breviter exponenda erant, quibus aditum mihi ad disputationem munirem, ita pluribus exsequi opus non est. Possint enim ista probari, nec ullus tamen inde fructus in operam meam redundare, si minus iis recte usus esse viderer. Hoc igitur caput est. Quare ad opus iam aggrediar, carminis plerumque ordinem servans, et lectorem quasi prosequens, quo facilius iudicari possit de suspicionum nostrarum et gravitate et veritate.

---

Decem priores versus omnes, quantum scio, qui de iis dixerunt sententiam, addititios iudica-

9) In Ὑποθέσει διεξοδικῇ huius Hesiodei carminis: ὁ χαρακτὴρ ἀφοριστικός ἐστι καὶ ἀπόλυτος αὐτῷ, καὶ ἀσύνδετος ὡς ἐπίπαν ὁ λόγος. ἔστιν ὅτε καὶ ἀρχαιολογικῇ ταυτολογίᾳ κεχρημένος, κ. τ. ἑξ.

verunt [10]), Brunckius etiam omisit [11]). Non desunt eius iudicii gravissimae auctoritates [12]). Equidem non mali tantum poetae esse Heinsio assentior [13]), sed ne eam quidem, quam idem tribuit, concesserim laudem, cum cura ab eo librum perlectum esse et argumentum recte perceptum. Quid enim attinebat invocare Musas, celebrantes non *iustitiam* Iovis, sed *potentiam*? Non vereor enim, ne quis cum Heinsio Iovis nomine Fortunam significari putet, eandemque postea Pandoram, in Theogonia Hecaten ap-

10) Vid. Scaliger, Clericus, Heinsius, Guietus ad h. l. et Fabric. Bibl. Gr. Vol. I. p. 575.

11) Gnomic. Poet. Graec. p. 150.

12) Aris archus, Praxiphanes, e Theophrasti discipulis, Plutarchus. Nec ἠθετοῦντο tantum versus, sed ne legebantur quidem multis in exemplis. Auctor est Proclus, quem ita loquentem inducit Tzetzes (nam in Procli scholiis, quae extant, haec non leguntur): ἔτι δὲ καὶ τοῦτό φησιν ὁ Πρόκλος· δηλονότι ὀθνεῖον καὶ οὐχ Ἡσιόδου ἐστὶ τὸ προοίμιον ἔκ τε τοῦ πολλοὺς ἐντυχεῖν τούτῳ τῷ βιβλίῳ ἀπροοιμιάστῳ, καὶ μὴν ἐκ τοῦ ἐνταῦθα μὲν τὸν ποιητὴν ἐκ Πιερίας τὰς Μούσας καλεῖν, ἐν δὲ Θεογονίᾳ ἐξ Ἑλικῶνος. (Haec quidem ratio, si Theogoniae prooemium Hesiodi esset, aliquid fortasse ad rem faceret: nunc certe nihil facit.) Omitto Boeotorum laminam plumbeam.

13) Introduct. C. XVII. ubi multa quidem mira comminiscitur et paene ridicula vir ingeniosissimus et doctissimus. Sed difficilius tunc temporis fuerit, Heinsiano modo errare, quam nunc, cum tot praestantissimi viri faces praetulerunt, vera videre.

pellari, Dei ἐν τῇ τῆς ἀταξίας περιόδῳ vicariam. Tam vero istis versibus:

*κλῦθι ἰδὼν ἀΐων τε, δίκῃ δ' ἴθυνε θέμιστας*
*τύνη· ἐγὼ δέ κε Πέρσῃ ἐτήτυμα μυθησαίμην.*

quam abrupta ad ipsum carmen accessio! quam eius, qui, cum eo delatus est, unde descensus non datur, praecipiti saltu uti cogitur! Nam quis ille est, qui verbo κλῦθι ad audiendum vocatur? an Iupiter? Qui subitus transitus seu a Musarum invocatione ad Iovis, seu, si cum Gronovio interpungis v. 3. post — ἄφατοί τε φατοί τε [14]), a narratione ad invocationem? Et quid est, quod eum velit audire? an ea quae ipse peragit? Sequitur autem ad Persen et ad iudices exhortatio, non precatio aut imploratio deorum. An ea quae gerantur in terra contra ius fasque, ut ultionem suscipiat? Importunissime abest obiectum. Sed magis fortasse placet, ad Persen illud κλῦθι referre. Legendum igitur cum Heinsio Πέρση, ut ex tertio casu quintus fiat. At Persae quomodo tribui possit illud ἰδὼν ἀΐων τε, non magis equidem video, quam Graevius [15]), et minus etiam eidem commode tribuitur τὸ ἰθύνειν θέμιστας: id enim vel Iovis vel regum est,

14) Apud Graev. Lectt. Hesiod. ad Theog. 430.
15) Lect. Hes. ad h. l.

— — — οὔτε θέμιστας
πρὸς Διὸς εἰρύαται (Il. α. 238).

et qui aut ἰθύνουσι μύθους ('Εργ. 263), ut par est, et διακρίνουσι θέμιστας ἰθείησι δίκησι (Theog. 85), aut θεῶν ὄπιν οὐκ ἀλέγοντες, ut qui Hesiodi litem diiudicarunt, ἄλλῃ παρκλίνουσι δίκας ('Εργ. 262), et σκολιὰς κρίνουσι θέμιστας (Il. π. 387. 'Εργ. 221).

Sed nimis iam multa de *afficto* isto, si unquam aliud, *citharoedi prooemio* [16]: de quo fortasse omnino supersedere poteram loqui. Ad ipsa iam τὰ τῶν 'Εργων πρῶτα, ut appellat Plutarchus, veniamus.

Initium fit a duobus distinguendis contentionum (ἐρίδων) generibus. Alterum, inquit, salutare est, ad aemulationem imitationemque alienae laudis excitat; alterum perniciosum, discordiasque et dissidia creat (a versu 11. ad v. 26). Cave, pergit fratrem admónens, ne illa pestifera ab opere abducaris ad inane rixarum studium; litigiosum enim dominum res familiaris non lautissima ferre non valet; neque sic iterum tibi continget alieno damno, ut cum circumvenisti me iudicibus corruptis ac nesciis, quantam paucorum etiam iustus fructus voluptatem haberet (a v. 27. ad v. 42).

16) Cic. de Orat. II. 80. (325.)

Hucusque ita omnia cohaerent, ut non possint melius [17]). Sed vide, ut idem de iis, quae sequuntur, praedicare possis:

*κρύψαντες γὰρ ἔχουσι θεοὶ βίον ἀνθρώποισι.*
*κ. τ. ἑξ.*

Quorum quem cum prioribus nexum esse dicemus? Nam si accuratos, id est bonos agere interpretes volemus, nihil est, quo ea referamus, praeter hosce duos versus proxime antecedentes:

*νήπιοι* (sc. *βασιλῆες*)· *οὐδ' ἴσασιν ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντὸς,*
*οὐδ' ὅσον ἐν μαλάχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ' ὄνειαρ.*

Duae his sententiae continentur, paucis vitam sustentari posse, idque reges istos stultos ignorare. Illa, paucis vitam sustentari posse, deos enim victum hominibus occultasse, (seu victus

17) Exceptis fortasse vv. 25 et 26, interpolatis, ut videtur, quanquam leguntur iam apud Platonem in Lyside §. 27. Heindorf. Sensus clauditur v. 24. his verbis: *ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσι.* Quid enim causae est, cur *μεταβαίνῃ καὶ πρὸς τὴν φαύλην ἔριν* (sic enim recte hos versus Tzetzes explicat), *καὶ τὰ ταύτης ἐπεξηγῆται*? Nam illud, aemulatione effici, ut vicinus, vicinum videns *εἰς ἄφενον σπεύδοντα*, festinet *ἀρόμμεναι ἠδὲ φυτεύειν οἶκόν τ' εὖ θέσθαι*, cohaeret cum admonitionibus, quibus ad industriam Perses a pernicioso litium studio revocatur; figulorum autem, mendicorum, fabrorum, vatum invidiae ad eum quid pertinebant?

comparandi facilitatem sustulisse,) coniungi sine repugnantia nequeunt. Restat alterum, reges ignorare sobriae vitae et simplicis delicias, quod laboriosa sit victus quaerendi ratio. At si laboriosa non videtur tantum, sed vere est, quomodo νήπιοι reges? Sin autem dicis, nihil significari verbo κρύψαντες, quam speciem difficultatis, facis tu quidem, ut antecedentibus hic versus conveniat, eundem a sequentibus disiungis. Si enim non licet amplius

ῥηϊδίως καὶ ἐπ' ἤματι ἐργάσασθαι,

ὥςέ σέ κ' εἰς ἐνιαυτὸν ἔχειν καὶ ἀεργὸν ἐόντα,

est laboriosa victus comparatio, non videtur tantum esse.

Sed sumus nimis accurati; nimis argute urgemus singula; totum spectandum est. Possim contra dicere, sed concedam. Tzetzen video afferre interpretationem primo adspectu satis probabilem. Ὁ δὲ νοῦς, inquit, τοιοῦτος· ὦ Πέρση, μὴ ἀργὸς ἐν ταῖς ἀγοραῖς καὶ πωλητηρίοις διάτριβε· τῷ γὰρ μὴ ἔχοντι τὴν ἐκ γεωργίας χρονίαν ζωὴν οὐ χρεία τοιούτων· ἧς γεωργικῆς ζωῆς τὴν συνοικίαν πληρώσας, εἴπερ σοι αἱρετὸν, ἔπειτα φιλονείκει· οἱ θεοὶ γὰρ, ἤγουν ἡ εἱμαρμένη ἡ ἐκ τῶν ἀςέρων γινομένη, ἀπέκρυψε καὶ δυσπόριςον ἐποίησε τὸν βίον τοῖς ἀνθρώποις· εὐκόλως γὰρ πρότερον καὶ μιᾷ ἡμέρᾳ ἐργασάμενος εἶχες ἂν

pellari, Dei ἐν τῇ τῆς ἀταξίας περιόδῳ vicariam. Iam vero istis versibus:

κλῦθι ἰδὼν αἴων τε, δίκῃ δ' ἴθυνε θέμιστας
τύνη· ἐγὼ δέ κε Πέρσῃ ἐτήτυμα μυθησαίμην.

quam abrupta ad ipsum carmen accessio! quam eius qui, cum eo delatus est, unde descensus non datur, praecipiti saltu uti cogitur! Nam quis ille est, qui verbo κλῦθι ad audiendum vocatur? an Iupiter? Qui subitus transitus seu a Musarum invocatione ad Iovis, seu, si cum Gronovio interpungis v. 5. post — ἄφατοί τε φατοί τε [14]), a narratione ad invocationem? Et quid est, quod eum velit audire? an ea quae ipse peragit? Sequitur autem ad Persen et ad iudices exhortatio, non precatio aut imploratio deorum. An ea quae gerantur in terra contra ius fasque, ut ultionem suscipiat? Importunissime abest obiectum. Sed magis fortasse placet, ad Persen illud κλῦθι referre. Legendum igitur cum Heinsio Πέρση, ut ex tertio casu quintus fiat. At Persae quomodo tribui possit illud ἰδὼν αἴων τε, non magis equidem video, quam Graevius [15]), et minus etiam eidem commode tribuitur τὸ ἰθύνειν θέμιστας: id enim vel Iovis vel regum est,

14) Apud Graev. Lectt. Hesiod. ad Theog. 430.
15) Lect. H[illegible]. ad h. l.

— — — οἵτε θέμιστας
πρὸς Διὸς εἰρύαται (Il. α. 238).

et qui aut ἰθύνουσι μύθους (Ἐργ. 263), ut par est, et διακρίνουσι θέμιστας ἰθείῃσι δίκῃσι (Theog. 85), aut θεῶν ὄπιν οὐκ ἀλέγοντες, ut qui Hesiodi litem diiudicarunt, ἄλλῃ παρκλίνουσι δίκας (Ἐργ. 262), et σκολιὰς κρίνουσι θέμιστας (Il. π. 387. Ἐργ. 221).

Sed nimis iam multa de *affictto* isto, si unquam aliud, *citharoedi prooemio* [16]): dequo fortasse omnino supersedere poteram loqui. Ad ipsa iam τὰ τῶν Ἔργων πρῶτα, ut appellat Plutarchus, veniamus.

Initium fit a duobus distinguendis contentionum (ἐρίδων) generibus. Alterum, inquit, salutare est, ad aemulationem imitationemque alienae laudis excitat; alterum perniciosum, discordiasque et dissidia creat (a versu 11. ad v. 26). Cave, pergit fratrem admonens, ne illa pestifera ab opere abducaris ad inane rixarum studium; litigiosum enim dominum res familiaris non lautissima ferre non valet; neque sic iterum tibi continget alieno damno, ut cum circumvenisti me iudicibus corruptis ac nesciis, quantam paucorum etiam iustus fructus voluptatem haberet (a v. 27. ad v. 42).

16) Cic. de Orat. II. 80. (325.)

ἀρκοῦσαν ζωὴν πρὸς ὅλον ἐνιαυτὸν καὶ ἀργὸς διάγων. Iungit igitur v. 42. cum v. 30 et 31, ita:

ὤρη γάρ τ' ὀλίγη πέλεται νεικέων τ' ἀγο-
ρέων τε,

v. 31. ᾧτινι μὴ βίος ἔνδον ἐπηετανὸς κατάκειται·
v. 42. κρύψαντες γὰρ ἔχουσι κ. τ. λ.

Quid igitur? istamne sententiam per decem versuum intervallum huc traducemus? quid? tam verbosum subito factum Hesiodum in re planissima et, quo brevius dicta, eo plus ponderis habitura, iudicabimus, ut duarum ei fabularum (v. 42 - 201.) comitatum alliget ad summam nihil facientium? Nam si quid probare volebat, enuntiati probanda veritas erat, ostendenda operum rusticorum multitudo, monendum:

*— nisi et assiduis terram insectabere rastris,*
*et sonitu terrebis aves, et ruris opaci*
*falce premes umbras, —*
*heu, magnum alterius frustra spectabis acervum,*
*concussaque famem in silvis solabere quercu* [18]).

non erat in eo immorandum, cur et ex quo tempore

*— — — pater ipse colendi*
*haud facilem esse viam*

18) Virgil. Georg. I. 155 - 159.

voluerit [19]). Et tamen in hanc irem sententiam, nisi idem evenire viderem, quod paullo ante accidit: proferremus difficultatem, non tolleremus, dumque consuleremus servando cum antecedentibus nexui, dirimeremus hos versus:

κρύψαντες γὰρ ἔχουσι θεοὶ βίον ἀνθρώποισιν·
ῥηϊδίως γάρ κεν καὶ ἐπ' ἤματι ἐργάσαιο,
ὥςτε σέ κ' εἰς ἐνιαυτὸν ἔχειν καὶ ἀεργὸν ἐόντα·
αἶψά κε πηδάλιον etc. usque ad v. 47:
ἀλλὰ Ζεὺς ἔκρυψε χολωσάμενος φρεσὶν ᾗσιν·

hos, inquam, versus cum antecedentibus coniungentes a sequentibus disiungeremus. Oporteret enim id ipsum, τὸν Δία κεκρυφέναι τὸν βίον, summam esse et caput, unde totae penderent fabulae statim sequentes: quod longe secus est. Πόνος enim χαλεπὸς est ille quidem in malis a Pandora in genus humanum diffusis [20]); sed

19) Virg. G. I. 121. Multum confert ad huius argumenti pondus perspiciendum loci Virgiliani comparatio; neque enim sola philosophiae incrementa effecerunt, ut, cum sine dubio Hesiodus eius obversaretur oculis, fabulas tamen sequentes omitteret, sed magis etiam quod eas huic loco non esse aptas sentiret; totam autem digressionem ita tractat, ut ipsam magis *improbi laboris* necessitatem ea demonstret, quam eius necessitatis originem.

20) Neque tamen diserte nominatur v. 100 et seqq. Verum, cum illis comprehendi, colligendum est ex v. 91. Cuius autem sententiae causa reliqua

minimam quandam partem efficit τῶν μυρίων λυγρῶν, *quorum cohors terris* maribusque *incubuit* [21]. Verus autem et intimus illius celeberrimae de Pandora missa fabulae sensus est is, quem per totam narrationem significatum versus 105 aperte enuntiat: divinam intelligentiam quacunque humana esse sublimiorem. Certamen inierat Prometheus (ratio humana) cum Iove (ratione divina), uter utrum prudentia vinceret:

— ἐρίζετο βουλὰς ὑπερμενέϊ Κρονίωνι·
(Theog. 533.)

dolo perfecerat, Διὸς νόον ἐξαπαφίσκων (Th. 536), ut nonnisi ossa victimarum diis tribuerentur; iam ignem quoque, a Iove irato amotum, callide furatur, λαθὼν Δία τερπικέραυνον (Ἔργ. 52). Tum ira commotus Iupiter, Ne exsultes, inquit, fallacia tua, quod ἐμὰς φρένας ἠπεροπεύσας (Ἔργ. 55); quod nunc fabricabor malum, nullo plane consilio effugietis, blanda id suavitatis specie irrepturum:

— — δώσω κακὸν, ᾧ κεν ἅπαντες
τέρπωνται κατὰ θυμὸν, ἑὸν κακὸν ἀμφαγαπῶντες·

omnia proponuntur, ea quomodo in tam reconditum quasi angulum abstrudi potuit?

21) Horat. Od. I. 3.

callidoque laetus invento

ἐξεγέλασσε πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε·

Et est quidem iste dolus inevitabilis hominibus alioquin ingeniosis et solertibus, ἀμήχανος ἀνδράσιν ἀλφηστῇσιν (v. 83), ita ut recte, victo Prometheo, sic concludatur:

οὕτως οὔτι που ἔστι Διὸς νόον ἐξαλέασθαι (v. 105).

aut Theogoniae versu:

ὡς οὐκ ἔστι Διὸς κλέψαι νόον, οὐδὲ παρελθεῖν (v. 613).

Quid tandem rei est Iovi falli nescio cum Persa laborem detrectante? quid cum regibus magnifice et apparate vivere cupientibus magis, quam iucunde et simpliciter?

Sed tamen negligamus quae minime negligenda sunt; fac Tzetzae interpretatione et illius sententiae, κρύψαντες γὰρ ἔχουσι κ. τ. ἑξ. et totius primae fabulae rationem esse expeditam: estne alterius etiam fabulae a versu inde 108, ubi nec de victus comparandi difficultate, nec de aliis, quae parit natura, malis ullus sermo est, sed de corruptis hominum moribus? An aliam rursus causam, ea cur inserta sit, quaeremus? At eam indicare saltem versus 106 et 107 debuerunt, quibus narrationi proludi-

tur. Et quae tandem est ea causa? Tzetzes quidem hoc loco haeret. Atque operae pretium est videre hominem mirum in modum se torquentem, ne prorsus silere videatur. Ἐν γὰρ τῇ πρὶν παραινέσει, inquit, ἔφη· πρὶν μὲν εὐπόριστος ἦν ὁ βίος καὶ ἀπερίεργος, εἶτα τοῦ πυρὸς εὑρεθέντος, καὶ δι᾿ αὐτοῦ τῶν τεχνῶν δυσπόριστος καὶ ἐπιβλαβὴς γέγονε· ταῦτα μὲν εἶπε πρίν· νῦν δέ φησιν· εἰ δ᾿ ἐθέλεις, ἕτερόν σοι λόγον ἐκκορυφώσω καὶ κεφαλαιώσω καὶ ἐκπληρώσω εἰς κορυφὴν αὐτὸν καὶ τέλος ἀγαγὼν, ἢ ἀπὸ κορυφῆς καὶ ἐξ ἀρχῆς ἀρξάμενος. O admirabile acumen! vereor tamen ut satis cuiquam faciat. Quare quid iam nobis restat, qui nec ad accuratae interpretationis leges operam dirigendo, nec connivendo, cum ab iis discedendum erat, tantum profecerimus, ut non abruptum v. 42. orationis filum videretur?

Et cave credas, scitius et occultius esse in fine, quam in principio, insitionem factam. Quid enim cogitari potest tam languidum tamque claudicans, quam iste versus (202), quo fit ad reliqua transitus:

νῦν δ᾿ αἶνον βασιλεῦσ᾿ ἐρέω φρονέουσι καὶ αὐτοῖς.

Quam ne speciem quidem ullius nexus mentitur! quam vero ineptum illud φρονέουσι καὶ αὐτοῖς! Verba haec sunt ad eum mulcendum

composita, quem cum consiliis instruimus, veremur, ne offendatur, si maiorem nobis, quam in ipso sit, assumere prudentiam videamur. Sic Vulcanus Iunonem alloquens (Il. α. 577):

μητρὶ δ' ἐγὼ παράφημι καὶ αὐτῇ περ νοεούσῃ.

Sic Cicero ad Quint. Fratr. I. 1. 7. *Quid enim ei praecipiam, quem ego intelligo prudentia non esse minorem quam me, usu vero etiam superiorem?* Simili modo Q. Cicero ad M. Fr. de Petit. Consul. init., similiter etiam Horatius ad Scaevam (Epp. 1. 17):

*Quamvis, Scaeva, satis per te tibi consulis, et scis,*
*quo tandem pacto deceat maioribus uti:*
*disce, docendus adhuc quae censet amiculus.*

Iam vero ad quos pertinet praeceptum, quod fabulae caput est?

ἄφρων δ' ὅς κ' ἐθέλῃ πρὸς κρείσσονας ἀντιφερίζειν·
νίκης τε στέρεται, πρός τ' αἴσχεσιν ἄλγεα πάσχει·

num ad reges? Imo si diceret, τοῖς ἀδικουμένοις φρονέουσι καὶ αὐτοῖς, recte se sermo haberet: nunc quis est, quin eum versum illepidissime

inculcatum esse sentiat? Et utinam eo contentus fuisset, quisquis haec ita nobis concinnavit! Attamen valde suspicor, eum aut extrusisse quosdam versus aut traiecisse (in quo et Tzetzen habeo et Graevium assensores, non sine aliqua Aristarchi significatione [22]); quod ni fecisset, manifestum id esset, quod ne nunc quidem despero me cuivis probaturum. Nam si sententiam spectas τοῦ αἴνου, quem se regibus ostendit propositurum, nihil invenies ad vv. 39 – 41. accommodatius, ita ut, quod ex addito verborum indicio ad probandum momenti accederet, admodum desideraturus non sis. A generali quadam pravi fratris ingenii effigie, quae dehortantis ab insana rixarum cupidine obversata fuerat animo (v. 27 – 36), deveniebat in eius temporis memoriam, quo fratris improbitatem expertus ipse erat (v. 37 – 38); necesse erat, ut regum simul in mentem veniret, a quibus ille adiutus nefariam fraudem fecerat (v. 39 – 42). Sed absoluta nondum est totius rei imago, nisi suae quoque, qua tum usus erat, conditionis vates meminerit; ut in summo propter iniuriam acceptam dolore

22) Qui ὠβέλισεν vv. 210 et 211, quia brutis sententiae non convenirent. Si transponendi sunt, malim ante v. 203. collocari, quam quo Graevio, Brunckio et Tzetzae placuit. Verum omnis sic non tollitur difficultas.

propulsare tamen eam non valuerit; ut tenuitas sua et imbecillitas, ut ipsa animi aegritudo iniustis oppressoribus ludibrio fuerit. Ea igitur cogitatio nonne oboriri ipsi et velut ultro adiungere se debuit? Num potuit pulchrius eam graviusque exprimere, quam lusciniam innocentem inducens, cui a crudeli correptae accipitre ne lugendi quidem potestas est?

Ab ista iam iniuriae sibi illatae imagine, cum, quam foede sit circumventus, sibi quodammodo mente et cogitatione depingit, omnes fluunt et animi affectus, qui in reliquis apparent, et argumenta admonitionum praeceptorumque, quae adiunguntur. Videt fratris impietatem, iuris etiam speciem prae se ferentis, cum, quae sibi ipse industria parare detrectaret, ea fratri eriperet; videt regum impotentiam venalium, qui lucri memores magis quam officii, cuius non metuebant minas, eius querelas contemnebant; videt imbecillitatem et solitudinem suam; dolor reviviscit, itaque exsurgit, ut, tanquam praesens res agatur, temperare sibi nequeat a fratre regibusque appellandis. Hic fons est, unde versus illi manant pulcherrimi, quibus deos ipsos iustitiam curae habere, nec, ut impune ferant eam qui laeserint, commissuros esse ostendit: quorum nulli non sunt impressa acerbissi-

mi animi sensus vestigia. Quanquam monitus illud:

ἄφρων δ' ὅς κ' ἐθέλῃ πρὸς κρείσσονας ἀντιφερίζειν,

magisque, (ut plerumque solent qui subtili recti pravique sensu prae ceteris imbuti sunt,) ut fiat id, quod sibi ius fasque et deorum religio et recta vitae institutio postulare videntur, quam de suo commodo sollicitus, non tam suam causam respicit, quam in universum fratris nequitiam arguit et regum iniustitiam, ipsis exitio futuras. Semper tamen in conspectu esse eam, quam dixi, imaginem, si minus totius orationis color, certe convincunt vv. 268 et 269:

πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμὸς καὶ πάντα νοήσας
καί νυ τάδ', αἴκ' ἐθέλῃσ', ἐπιδέρκεται, οὐδέ ἑ λήθει,
οἵην δὴ καὶ τήνδε δίκην πόλις ἐντὸς ἐέργει.

Versantur autem reliqua partim in docendo (213–262), partim in monendo et praecipiendo (263–326); docet cum fratrem (213–247) tum reges (248–263). *Potentissimi etiam* (sic infit Persen alloquens) *et ditissimi effugere damna, quae iniuste facta sequuntur gravissima, non possunt, nedum tenues et pauperes; crede mihi, nec magistram demum experientiam exspecta, ad extre-*

*mum iniuriam iustitia vincit* (213-219); *Δίκη enim etsi, quocunque protrahitur ab hominibus, sequitur, impune tamen vim sibi inferri non sinit* (220-224); *Iupiter ipse beneficiis afficit qui eam colunt, qui expellunt, eos poenis cumulat* (225-247). Deinde ad reges conversus, *Idem vos*, inquit, *in animum inducite; prava enim iudicia nec latere deos possunt* (248-255. [23]), *nec ab iis negliguntur; dii enim tuentur iustitiam, quam a regibus violatam urbium non raro civitatumque ruinae et eversiones sequuntur* (256-262). Atque his expositis ad admonitionem accingitur, et pauca quidem ad reges (v. 263-273. [24]), quippe iam

23) Vv. 252-255.

*τρὶς γὰρ μύριοι εἰσιν ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ*
*ἀθάνατοι Ζηνὸς, φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων,*
*οἵ ῥα φυλάσσουσιν κ. τ. ἑξ.*

repetunt quod dictum erat v. 249:

— — *ἐγγὺς γὰρ ἐν ἀνθρώποισιν ἐόντες*
*ἀθάνατοι λεύσσουσσιν, ὅσοι κ. τ. ἑξ.*

Quae sane molesta est repetitio. Quodsi tantopere inculcatur deorum praesentia, miramur, si v. 259. iustitiam praeterea ipsam apud patrem considentem videmus hominum queri iniquitatem; et quis ferat illas *ἀθάνατους Ζηνός*? Partum, mihi crede, *τῶν ἀθανάτων* v. 250, et hiatus, qui oriebatur, cum *οἱ φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων, οἵ ῥα φυλάσσ.* etc. ex versib. 123-125. huc transportarentur. Aliter tamen Brunckius iudicavit, qui eos altero illo loco, v. 124 et 125, eiecit.

24) De versibus 267-273. ita Proclus: Ὁ Πλούταρχος τοὺς ἑπτὰ τούτους στίχους ἐκβάλλει ὡς ἀναξίους τῆς

ad exitum festinans, priusque fratris erudiendi institutum repetens. Hunc igitur cohortatus, ut *iustitiam colat, hominibus solis prae ceteris animantibus propriam; omnem ex ea felicitatem pendere* (274–285); *viam, quae eo ducat, principio quidem esse arduam, mox apertam et facilem futuram* (286–292); *quod si non intelligat ipse, se auctorem sequatur* (293–298); his igitur monitis, plane ad ea, unde erat exorsus, revolvitur: commendat ei industriam; *labore famem fugiat, labore diis se carum faciat* (299–310), *atque opes sibi paret plus solidas, quam quae iniuriis ac rapinis colligantur* (311–326). Sic in principium extrema coeunt; quod ut semper perfectionis signum habetur, ita orationis plerumque conclusae ac terminatae indicio est [25]).

*Ἡσιόδου περὶ δικαίων καὶ ἀδίκων κρίσεως.* Id Brunckium videtur movisse, hos ut versus exturbaret. Sed nec iusta haec exterminandi ratio est, nec vera, ut recte animadvertit Robinsonus, ista Plutarchi criminatio. Sensus est: Si dii non curarent iuste et iniuste facta, iustitiam nec ego colerem; sed curant. Legendum fortasse v. 270: *νῦν δέ κ᾽ ἐγὼ μήτ᾽ αὐτὸς* etc. pro *νῦν δὲ ἐγώ*; eo mihi spectare videtur ed. Aldinae, Iunt. Trinc. et codicis August. lectio *νῦν δ᾽ ἐγώ.*

25) Conf. Horat. Serm. I. 1. 108. et Cic. de Orat. III. 53. (203), qui, ubi de sententiarum concinnitate loquitur, componit *reditum ad propositum, et iterationem, et rationis aptam conclusionem.*

Contemplare, quaeso, hos versus, 11–41, 202–326, per se solos et a reliquis segregatos: simplicem et apertam reperies totius sermonis rationem; cogitationes et sensus, qui poetae, cum fratris in mentem veniret, pro sua, qualem ex hoc carmine novimus, natura sponte nasci debuerunt, eos expressos continent; necessario omnia inter se iuncta vinculo sunt, necessarie nihil non ex antecedentibus se evolvit, ut ex turgidis vitium gemmis singula folia floresque. Iam vero in fabulas istas, v. 42–201, coniice oculos: turbata omnia; nulla ibi Persae, nulla illatae a Persa iniuriae ne tum quidem mentio, cum eam vitare ne potuisse quidem videtur [26]; nihil de suppliciis, quibus iniuriam dii puniant; nihil de incommodis, quae rixandi studio nascantur; nihil de operae fuga, nihil de iuste iudicandi officio. Et si respicis orationis colorem: abiit ille iustitiae suasor gravis et vehemens; evanuit illa propter fratris improbitatem ira et excandescentia; nihil denique usquam elucet pristini animi motus. Fingamus nobis, ut sibi ipse finxisse Hesiodus videtur, quos praeceptis suis ad probitatem informat, stantes ante eum exhortationesque audientes: summo ille cum impetu in iudices iniustos invehitur; re-

26) Velut v. 190 et seqq.

pente in fabulas quasdam narrandas incidit, nec proposito suo, nec huic loco convenientes; iam isti narrationis dulcedine capti priora omnia obliti sunt; sed fabulis vixdum finitis, ecce, ad eundem vates animi ardorem revolvitur; quid? meminit etiam, ubi antea constiterit; coeptum persequitur; reges obiurgare iuris negligentes pergit. Quid tandem sibi volebat digressione ista, longiore quam reliquum poema? Volebat causas, credo, illustrare, cur, quam paucis ad vivendum opus sit, reges intelligere nequeant, aut taedium fratris, quod ex admonitionibus haurire et praeceptis poterat, diluere [27]).

Nimis fortasse longus sum in re omnium apertissima. Neminem enim fore arbitror, modo in eam, quae vere verbis inest, se insinuare mentem velit, nec nimis cupidus aut allegoriarum sectator, velut scholiastae et ipse (pace tanti viri dixerim) Heinsius, aut coagmentationis a maioribus acceptae fautor, insilire pro arbitrio in aliquam partem, unde sibi cetera pendere temere persuaserit, ad eamque aut detorquere reliquorum sententiam, aut, ubi satis ductilis materia non est, antiquum accusare mo-

27) Heinsius in Ὑποθέσει: τὸν ἀδελφὸν ἀπὸ τοῦ περὶ τὰς ὑποθήκας καὶ παραινέσεις ταύτας κόρου ἀναλαμβάνων καὶ ἀνακτώμενος.

rem loquendi; his, inquam, exceptis, neminem credo futurum, quin ab auctore carminis eum istis fabulis locum assignari non potuisse intelligat; potuisse a rhapsodo aliquo, aliove, cuius fortasse intererat, ut sententiarum lentior tristiorque cursus epicae narrationis grata vicissitudine hilararetur. Paullo tamen copiosius haec mihi explicanda duxi, ut in ceteris iam paucioribus defungerer. Nam ut e muro, fragili praesertim et infirmo, unum cum evulsum caementum est, cetera facilius corruunt, sic uno hoc proposito tam luculento exemplo praeiudicium certe arbitror illud fractum esse et labefactatum, quod iure quodam fieri contra sententiam meam potuisse non nego ex ea carminis, qua ad hanc aetatem pervenit, forma et habitu. Lectore igitur iam spero me usurum indagationis non tam adversario, quam socio. Neque hoc dico, quo iudicii severitatem in reliquis recusem, sed quod laborem nolim cum inutilem tum ingratum suscepisse.

A versu inde 527. congeries sequitur dictorum ne inter se quidem [28]), multo minus cum

28) Sic fieri potuit, nt aliis viris sapientibus apud veteres quaedam ex numero eorum adscriberentur, ut secundum Plutarchum (Thes. 3.) versus 370:

μισθὸς δ' ἀνδρὶ φίλῳ εἰρημένος ἄρκιος ἔστω,

prioribus cohaerentium. Perorationis esse signum admonui, quod vv. 299–326. sermo redeat ad ea, unde initium factum sit; nihil iam, si sententias spectares, deesse probavi, quo minus unum quoddam corpus rotundum omnibusque numeris absolutum agnosceres. Idem tibi magis etiam perspectum fore confido, si attenderis animum ad incrementa et decrementa τοῦ πάθους, cuius istis versibus venustissima inest, meo quidem iudicio, significatio. Severus ille quidem, sed lenior et summissior, ingreditur in principio; mox assurgit, et quodam, etiam pro medio illo dicendi genere [29]), cum impetu fertur; deinde paullatim a fervore remittit, et ad primum dicendi tenorem revertitur. Neminem fugere potest mediocriter attentum, (et ad cuiuslibet sensus iudicium provoco,) iam demum adesse finem; nemo non indignabitur, si quid claudo quasi pede videbit insequi, quod omnem vim diluat prioribus contentam, atque invitatum ad requietem a vate ipso et praeparatum inde rursus excutiat. Neque ferres, si qua argumenti coniunctio intercederet: iam quanto minus, cum

Pittheo, Thesei avo; eaque causa esse videtur, minime illa quidem sufficiens, cur hunc versum nonnulli expunxerint: vid. Cleric. et Graev. ad h. l.

29) Quinctil. X. 1. 52.

ea prorsus nulla sit. Deos esse pie colendos, vicinos diligendos, abstinendum a vitiis, providendum quibus credas, mulieribus imprimis non habendam fidem, haec et eiusmodi alia his praecipiuntur versibus: de Persa et de tota eius causa altum silentium. Sunt tamen quaedam loca, ubi, ni procul a dicentis animo omnis eius cogitatio fuisset, fieri non potuit, quin aliquid eius appareret vestigium [30]; sunt multa alia, quae, si ad Persen traherentur, plane inepta forent [31]. Tales autem sententiae, ut

μὴ κακὰ κερδαίνειν· κακὰ κέρδεα ἶσ' ἄτησιν.
aut — — ἅρπαξ δὲ κακή, θανάτοιο δότειρα.
aut — — — πῆμα δὲ θυμῷ
χρηΐζειν ἀπεόντος· ἅ σε φράζεσθαι ἄνωγα.

et aliae, quibus, si paulo pinguius accipis, est aliquid cum priorum proposito commune, si propter levem illam similitudinem haec cum an-

30) Velut vv. 352, 356, 360, 367.

31) Ut v. 371:

καί τε κασιγνήτῳ γελάσας ἐπὶ μάρτυρα θέσθαι.

Nec, si urgere volumus versum 399:

— — — ἐργάζευ, νήπιε Πέρση,
μήποτε σὺν παίδεσσι γυναικί τε θυμὸν ἀχεύων
ζητεύῃς βίοτον κ. τ. λ.

illud in Persen quadraret praescriptum (v. 373):

μηδὲ γυνή σε νόον — ἐξαπατάτω,
— — τεὴν διφῶσα καλιήν.

tecedentibus iungenda putares, medias inter alias sententias fortuito sparsae et in locum minime aptum temere delapsae viderentur. Vide porro diversum dictionis tenorem; qui cum illic incitatior ferretur, hic quasi sedatus amnis fluit. Non iam asperum illum et acerbum morum castigatorem, sed blando hilarique vultu sapientem senem mihi videre videor, ex magna praeceptorum utilium copia, ut quaeque se offerunt, cum audientibus communicantem. Sed ego nonne mirum facio, qui singulos subducam calculos in ea re, quae nullius sensum fugere potest primos tantum novem versus, 326 - 334, legentis?

Hanc igitur γνωμολογίαν a prioribus seiungendam esse nemo non videt: in dubium vocari fines possunt. Ego constitui, a quo inde versu nihil omnino ad Persen pertinere manifestum est; ceterum a versu iam 299. non modo iterari multa languidissime, sed rectius etiam quaedam huc transferri apparet [32]. Singulas

32) Ut v. 311 et vv. 317 - 319, quos suspectos praeterea propter quorundam versuum Homericorum similitudinem Plutarchus, testante Proclo, Hesiodo abiudicavit. Eiusdem generis vv. 287 - 292 et 293 - 297. esse videntur; sed ii, si non verbis argumento tamen cum ceteris cohaerent. Repeti-

autem sententias ad omnem morum, religionis, societatis civilis institutionem pertinentes conti-

tionum autem illarum, quas dixi, languidarum originem e diversis plurium recensionum lectionibus in contextu simul collocatis repeto; quod quam saepe factum sit in Hymnis Homericis, ex acutissima Hermanni indagatione constat. Eandem ille Theogoniae Hesiodeae rationem esse coniecit; prooemii certe, quod Theogoniae praefixum est, luculentissime ostendit. In nostro carmine vide ne vv. 242-244:

τοῖσιν δ' οὐρανόθεν μέγ' ἐπήγαγε πῆμα Κρονίων,
κ. τ. ἑξ.

variam lectionem exprimant versuum 239 et seqq.

τοῖσι δίκην Κρονίδης τεκμαίρεται εὐρύοπα Ζεύς·
κ. τ. ἑξ.

Vv. autem 245-247. alius fortasse addidit Iovis poenas ulterius enarraturus; iure enim Tzetzen offendit, praeter ἄκαιρόν τινα ταυτολογίαν, Iovis nomen quater hoc loco repetitum (καὶ τὸ τοῦ Διὸς ὄνομα τετράκις ἐνταῦθα κεῖται ἀδολεσχούμενον· εὐρύοπα Ζεὺς, Κρονίων, Ζηνὸς φραδμοσύνῃσιν, καὶ τὸ Κρονίδης ἀποτίνυται). Eodem modo v. 232:

τοῖσι φέρει μὲν γαῖα πολὺν βίον· οὔρεσι δὲ δρῦς
κ. τ. ἑξ.

variam lectionem continere videntur v. 227 et seqq.

τοῖσι τέθηλε πόλις, λαοὶ δ' ἀνθεῦσιν ἐν αὐτῇ· κ. τ. ἑξ.

Aliud exemplum vid. v. 630, de quo plura dicam, cum ad eum locum pervenero. Hic autem quatuor agnosco confusas recensiones:

I. 299. Ἐργάζευ, Πέρση, Δίου γένος, ὄφρα σε λιμὸς
300. ἐχθαίρῃ, φιλέῃ δὲ ἐϋστέφανος Δημήτηρ
αἰδοίη, βιότου δὲ τεὴν πίμπλησι καλιήν·
301. λιμὸς γάρ τοι πάμπαν ἀεργῷ σύμφορος ἀνδρί.
312. εἰ δέ κεν ἐργάζῃ, τάχα σε ζηλώσει ἀεργὸς
313. πλουτεῦντα· πλούτῳ δ' ἀρετὴ καὶ κῦδος ὀπηδεῖ.

nua de agricultura et de navigatione praeceptio (v. 583-693.) excipit; rursusque ea in singula dicta abit et argumentis et dicendi genere horum similia (694-723), iisque iungenda: ad superiorem Persae appellationem nec ea posse referri, singuli quemque versus docebunt.

320. χρήματα δ' οὐχ ἁρπακτά· θεόσδοτα πολλὸν ἀμείνω·
εἰ γάρ τις καὶ χερσὶ βίῃ κ. τ. ἑξ.

II. 299. Ἐργάζευ, Πέρση, et seqq. ad v. 301:
301. λιμὸς γάρ τοι πάμπαν ἀεργῷ σύμφορος ἀνδρί·
308. ἐξ ἔργων δ' ἄνδρες πολύμηλοί τ' ἀφνειοί τε,
καί τ' ἐργαζόμενος πολὺ φίλτερος ἀθανάτοισιν
310. ἔσσεαι ἠδὲ βροτοῖς· μάλα γὰρ στυγέουσιν ἀεργούς.
320. χρήματα δ' οὐχ ἁρπακτά· θεόσδοτα etc.

III. 299. Ἐργάζευ, Πέρση, Δῖον γένος, ὄφρα σε λιμὸς
300. ἐχθαίρῃ, φιλέῃ δέ σ' ἐϋστέφανος Δημήτηρ.
303. τῷ δὲ θεοὶ νεμεσῶσι καὶ ἀνέρες, ὅς κεν ἀεργὸς
ζώῃ, κηφήνεσσι κοθούροις ἴκελος ὁρμήν,
οἵ τε μελισσάων κάματον τρύχουσιν ἀεργοὶ
ἔσθοντες· σοὶ δ' ἔργα φίλ' ἔστω μέτρια κοσμεῖν,
307. ὥς κέ τοι ὡραίου βιότου πλήθωσι καλιαί.
320. χρήματα δ' οὐχ ἁρπακτά· etc.

IV. 299. Ἐργάζευ, Πέρση, Δῖον γένος, ὄφρα σε λιμὸς
ἐχθαίρῃ, etc. ad v. 302:
302. λιμὸς γάρ τοι πάμπαν ἀεργῷ σύμφορος ἀνδρί.
312. εἰ δέ κεν ἐργάζῃ, τάχα σε ζηλώσει ἀεργὸς
313. πλουτεῦντα· πλούτῳ δ' ἀρετὴ καὶ κῦδος ὀπηδεῖ.
320. 314. χρήματα δ' οὐχ ἁρπακτά· τὸ ἐργάζεσθαι ἄμεινον,
315. εἴ κεν ἀπ' ἀλλοτρίων κτεάνων ἀεσίφρονα θυμὸν
316. εἰς ἔργον τρέψας μελετᾷς βίου, ὥς σε κελεύω.
321. εἰ γάρ τις καὶ χερσὶ βίῃ etc.

Singuli fortasse versus aliter distribui poterunt; tota via me errare non crediderim. Ceterum tu, si quid vidisti rectius, imperti.

Sed ea antequam pluribus persequimur, ad fabulas illas nostras redeundum est, quae ex sede diu occupata a nobis evulsae, et ex iniqua servitute in libertatem tandem vindicatae, aliquid tamen adhuc auxilii exspectant, partim ut iis etiam solutae vinculis, quibus inter se ipsae satis incommode constrictae tenentur, plane suas quaeque rationes sequi possint, partim ut aliis quibusdam, quibus urgentur, angustiis nostra opera liberentur.

Et illa quidem, quibus inter se copulantur hae fabulae, vincula, quantum in oculos incurrunt, satis infirma sunt; quis est enim, qui versus istos moretur ieiunos et aperte inculcatos (106, 107):

εἰ δ' ἐθέλεις, ἕτερόν τοι ἐγὼ λόγον ἐκκορυφώσω
εὖ καὶ ἐπισταμένως· σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσιν.

Quare, ni latentior quidam nexus inest, nihil obstat, quin eas hoc quoque nomine liberemus. Posset autem coniungendi necessitas aut ex ipsis duci, si alterutra per se sola intelligi non posset; (quanquam neutra neutrius explicationem desiderat,) aut aliunde peti, sive ex maiore aliquo carmine, unde utraque penderet, (sed ostendimus eas a reliquis esse seiungendas,) sive ex

animo dicentis, propter similitudinem aliquam ab altera in alteram ablati; quod accidere, postquam ambae exstiterint, ῥαψῳδοῦντί τινι potuisse non nego: inventorem vero et auctorem magis conscium sibi esse oportuit consilii ostendendae Iovis calliditatis, quam ut, quod aliud agens malorum tangit originem, propterea in hanc alteram fabulam delabi potuerit. Quid, quod ea opinio, quae a Pandorae imprudentia malorum originem repetit, excludere miseriarum in dies crescentium cogitationem videtur? quod una in mente simul existere ambae non possunt? Omitto orationis diversissimum colorem, conspicuum maxime, si, quae in utraque extrema sunt (v. 90–104 et v. 174–201), inter se compares, tranquilliorem illic et sereniorem, hic vehemens quoddam desiderium testantem, cum suae aetatis impatiens ad aliorum temporum mente conceptam imaginem perfugit, ubi tantam sibi nec fuisse persuasit nec futuram esse turpitudinem. Etenim haec in sensu quodam nimis delicato et vulnerabili radices habet immissas, ex quo succus haustus, singulosque ramulos et folia penetrans, nihil non tingit et colorat [33]); Iovis extollere prudentiam qui volebat,

33) Vereor, ne nimis quibusdam exaggerare videar, quae de sensibus verbis expressis et supra dis-

ei etiam, cum mala enumeraret ex eius ira profecta, docentis magis munere fungendum erat, quam suos sensus exhibentis. Hac igitur diversitate non mediocriter mihi confirmari videntur, si confirmatione egent, quae de prioris fabulae argumento supra disserui; cuius si simile consilium et similis summa fuisset, non potuit non similis etiam inde orationis color exire. Quare, quibus motus rationibus vir doctus manifestum esse iudicarit, has fabulas qualicunque modo quondam coniunctas fuisse, etiamsi versibus 106 et 107 non credat id esse factum [34]), reperire minime possum.

Sed iam alia oboritur dubitatio. Quaeritur enim, quid istis versibus fiat:

*κρύψαντες γὰρ ἔχουσι θεοὶ βίον ἀνθρώποισιν*

et reliquis usque ad v. 46:

*ἔργα βοῶν δ' ἀπόλοιτο καὶ ἡμιόνων ταλαεργῶν.*

opera nostra et ab iis, quae antecedunt, divulsis et a narratione quae sequitur, quippe quam

putavi et nunc disputo; id quod quadam ex parte confiteor: sunt enim ita quasi leves et suspensi mentis cogitationisque gradus, ut eius vestigia demonstrare qui velit, debeat ea paullo altius humo imprimere; mea autem ne pro vatis dedisse vestigiis videar, non metuo.

34) Vid. Supplementa ad Sulzer. III. p. 60.

longe aliam sententiam persequi, novo cum maxime argumento confirmavimus. Responderem, aliam esse eorum rationem, si commissum sibi negotium gloriarentur sequentis fabulae cum antecedentibus connectendae, aliam, si, nullo sibi in reliquis assumto momento, ei praefari satis haberent: essent enim non ipsorum causa fabulae adiunctae, sed fabulae causa ipsi praemissi; id igitur responderem, et quanquam absolutae iam narrationi eos affictos esse hoc ipsum argueret, initae tamen societatis tuendae auctor essem, nisi quaedam obstarent alia. Primum enim vv. 90 et 91:

πρὶν μὲν γὰρ ζώεσκον ἐπὶ χθονὶ φῦλ' ἀνθρώπων
νόσφιν ἄτερ τε κακῶν καὶ ἄτερ χαλεποῖο πόνοιο;

ineptissimi essent, si quid in eam sententiam narrationi praegrederetur; deinde si quis ad v. 48. legendo processerit:

ὅττί μιν ἐξαπάτησε Προμήθευς ἀγκυλομήτης.

nemo non haerebit, qui est paullo tantum accuratior. Cum eo versu duo alii cohaerent; alter praecedit:

ἀλλὰ Ζεὺς ἔκρυψε χολωσάμενος φρεσὶν ἧσιν.

alter sequitur:

τοὔνεκ' ἄρ' ἀνθρώποισιν ἐμήσατο κήδεα λυγρά.

Iuncti sunt ita, ut utriusque causam v. 48. continere videatur. Iam si eadem Iovis actio utroque designaretur, difficultatis nihil esset. Designantur autem diversae et diversis e causis profectae; hoc, ut v. 50. docet (κρύψε δὲ πῦρ), ignis hominibus subtractus, qui subtractus est ob bovem Meconae fallaciter a Prometheo divisum (Theog. 534–556), illo ea notatur poena, qua, igne surrepto hominibusque reddito, genus humanum affectum est. De utro igitur Promethei facto versum 48. interpretabimur? De bove fallaciter distributo? Sic iubet versus 49 et sequentes: at vetat v. 47, et quod nulla adhuc eius rei mentio facta est. An de igni surrepto, aut de utroque Promethei dolo? Flagitant vv. 42–47; sed repugnant v. 49. et narratio sequens, ubi callidum ignis furtum eiusque ultio separatim referuntur. Nihil iam restat, nisi ut v. 49. illud τοὔνεκα aliorsum referamus, sed quorsum?

Adiuvabit fortasse cum hac collata alia eiusdem fabulae explicatio, quae est in Theogonia vv. 534–612. Ibi duas eius esse partes videmus; prioris (534–556), quae Promethei in hostia dividenda dolum continet ex eoque conflatam Iovis iram, finis hic est:

ἐκ τοῦ δ' ἀθανάτοισιν ἐπὶ χθονὶ φῦλ' ἀνθρώπων
καίουσ' ὀστέα λευκὰ θυηέντων ἐπὶ βωμῶν.

alterius, quae ignem a Iove remotum et Promethei fraude rursus ablatum exponit ultionemque inde secutam, versus ille consentiens cum v. Ἔργ. 105:

ὡς οὐκ ἔστι Διὸς κλέψαι νόον οὐδὲ παρελθεῖν.

Quaeritur, ἐν τοῖς Ἔργοις cur prior pars absit? An minus ad illam certaminis inter Iovem et Prometheum instituti historiam pertinet? Imo maxime. Cur igitur omissa? Non fuit, mihi crede, omissa primitus; hoc testatur illud τοὔνεκα v. 49, congruum cum Theogoniae v. 562:

ἐκ τούτου δ' ἤπειτα δόλου μεμνημένος αἰεὶ
οὐκ ἐδίδου μελέοισι πυρὸς μένος ἀκαμάτοιο
θνητοῖς ἀνθρώποις.

testatur v. 50. vocabulum αὖθις, quod alium iam Iapetionidae dolum prius memoratum indicat, testatur denique v. 97. πίθος ille subito, nescimus unde, prodiens; quem non a Pandora allatum, sed antea iam in Epimethei domo fuisse, Buttmanno, viro clarissimo, assentior [35]; verisimilius autem credo, fuisse illud ex ea narrationis parte, quae versum 49. sine dubio prae-

35) In Commentariis Berolinens. menstruis, Decemb. a. 1802.

gressa est, audientibus cognitum, quam ex aliis fabulis, de quibus nihil comperti habemus. Omisit eam fortasse (sit enim, ubi scire nihil potest, opinanti venia) rhapsodus aliquis, qui cum, facta v. 48. Promethei mentione, in cogitationem incidisset uberioris ex nota sibi fabula eiusdem rei expositionis annectendae [36]), hanc partem minus pertinere iudicabat ad sententiam vv. 42-47. expositam. De hisce autem versibus, 42-47, affirmare nihil ausim; quae suspicer, dicam. Quae deseri posse, ni difficiliorem Iupiter victus comparandi rationem reddidisset, dicuntur opera, non differunt ab iis, quae propriis postea praeceptis instruuntur (v. 383-693); nam cum dicit:

αἶψά κε πηδάλιον μὲν ὑπὲρ καπνοῦ καταθεῖο,
ἔργα βοῶν δ' ἀπόλοιτο καὶ ἡμιόνων ταλαεργῶν.

navigationem et agriculturam significari apertum est: id quod Heinsius etiam observat. An arctius fortasse quondam cum illis hoc fragmentum iunctum fuisse coniiciemus? Certe, si post v. 382. collocaretur, lectorem non offenderet:

36) Ut et Theogoniam *aliunde decerptis particulis locupletabant* (Wolf. Theog. p. 57.), et ταῖς Ἠοίαις pugnae et armorum Herculis descriptionem attexebant (Heinrich. Proll. ad Scut. H. p. LXVII.), et ipsius Homeri dicta modo copiosius persequebantur, modo alienis fragmentis interpositis interpolabant (Herm. Ep. ad Ilgen. p. VII-IX.).

σοὶ δ' εἰ πλούτου θυμὸς ἐέλδεται ἐν φρεσὶ σῇσι,
ὧδ' ἔρδειν· ἔργον δὲ τ' ἐπ' ἔργῳ ἐργάζεσθαι.
κρύψαντες γὰρ ἔχουσι κ. τ. ἑξ.

Verbo: probabilitate haud carere arbitror, hanc vel prooemii cuiusdam veteris partem fuisse, praefixi illi, quod nobis de agricultura adhuc restat, carmini; vel, si vera sunt, quae Heinsius probare conatur 34), copiosioris cuiusdam similis argumenti carminis, a quo Promethei fabula adiuncta, uti Scutum Herculis ab Eoeis, deinde separata sit.

Sed quoniam e Theogonia auxilium petere coepimus, experiamur, an ad alium etiam locum illustrandum aliquid inde lucis haurire possimus; quod etsi ad huius scriptionis institutum minus pertinet, tamen non ita inde abhorret, ut praetereundum esse videatur. Si, lectis quas consilii perficiendi partes Jupiter cuique deorum versibus 60–68. mandavit, ad vv. 70–82. accesseris, Minervam mirabere, Iovis imperii immemorem, non texendi artem docere, sed ornatricis munere fungi; Venerem prorsus deesse officio; Gratias contra et Suadam accurrere iniussas; pro desiderio ardenti curisque membrorum edacibus decorari Pandoram floribus ver-

37) Introd. C. IV.

nis et aureis monilibus; nihil denique quemquam praeter Vulcanum, ita ut imperatum sit, exsequi. Maior haec repugnantia est, quam cui mederi possit unus expunctus versus 75, quem sublatum Ruhnkenius voluit [38]). Equidem totum hunc locum, a versu inde 70 ad v. 82, ex Theogonia huc illatum crediderim, sed ex alia recensione, quam qua nos hodie utimur. Hic certe eo omisso nihil desiderabis; nam si ita legeretur:

— ἐκ δ' ἐγέλασσε πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε·
Ἥφαιστον δ' ἐκέλευσε περικλυτὸν, ὄττι τάχιστα
κ. τ. ἑξ.

67. ἐν δὲ θέμεν κύνεόν τε νόον καὶ ἐπίκλοπον ἦθος
68. Ἑρμείην ἤνωγε, διάκτορον Ἀργειφόντην.
69. ὣς ἔφαθ'· οἱ δ' ἐπίθοντο Διὶ Κρονίωνι ἄνακτι.
83. αὐτὰρ ἐπεὶ δόλον αἰπὺν ἀμήχανον ἐξετέλεσσεν,
84. εἰς Ἐπιμηθέα πέμπε κ. τ. λ.

ita si legeretur, quis abesse quicquam inter v. 69 et 83. sentiret? Iam vero cum narratio

38) Epist. crit. I. p. 49. cuius tamen rationem non agnosco; versum 76:

πάντα δὲ οἱ χροῒ κόσμον ἐφήρμοσε Παλλὰς Ἀθήνη.

ita interpretor: cum singulis ornatus partibus et ipsa illam Minerva et Gratiae Suadaque instruxissent, eae ut pulchre concinerent, Minervam solam curasse, totumque recognovisse.

ea, quae Theogoniae inest, tantopere ab hac nostra differat, non modo quod multo uberius rem et copiosius persequitur, sed etiam quod de ipsa Pandorae persona, et quomodo ea malorum hominibus causa fuerit, non consentit: quis est, qui non miretur in tanta diversitate versuum 70–72. in Opp. et Dieb. cum versibus 571–573. in Theogonia congruentiam [39]? Deinde Veneris nec in Theogonia ullae sunt partes; Minerva non artes docet, sed ornandi curam occupat; saevarum cupidinum loco Pandora floribus coronatur; verba denique illa: Κρονίδεω διὰ βουλὰς (v. 71), Διὸς βουλῇσι βαρυκτύπου (v. 79), quae iure Clericum offendunt, (sunt enim huic loco minime accommodata, ubi Iovis iussa praecedebant ipsa,) necessaria sunt, ubi, ut in Theogonia, Iupiter non inducitur loquens.

Sed quo plus haec firmamenti nanciscantur, distribuamus versus 70–82. in tres partes, et singulas acrius perlustremus.

I. vv. 70–72. Congruunt hi fere ad verbum cum Theogoniae versibus 571–573.

39) Ἔργ. 70. | Theog. 571.

| Ἔργ. 70. | Theog. 571. |
| --- | --- |
| αὐτίκα δ' ἐκ γαίης πλάσσε κλυτὸς Ἀμφιγυήεις. | γαίης γὰρ σύμπλασσε περικλυτὸς Ἀμφιγυήεις. |

Ἔ. 71. Th. 572. παρθένῳ αἰδοίῃ ἴκελον, Κρονίδεω διὰ βουλάς.

Ἔ. 72. Th. 573. ζῶσε δὲ καὶ κόσμησε θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη.

II. vv. 73–76. Conveniunt cum Theog. vv. 574–583; utrique Pandoram produnt Minervae cura sertis et corona exornatam; coronam Theogonia copiosius depingit.

III. vv. 77–82; quibus nihil respondet in Theogonia; sed ea manifestam habet lacunam his ipsis versibus explendam. Nam cum, omni Pandorae ornatu descripto, ita narratio continuatur (v. 585):

αὐτὰρ ἐπειδὴ τεῦξε καλὸν κακὸν ἀντ' ἀγαθοῖο [40]),

eam pulchram evadere Vulcani et Minervae sociata opera debuisse intelligimus; sed quomodo κακὸν, de quo nihil memoratum est? et quis est ille qui τεῦξε κακόν? num Vulcanus? At ille ornavit eam, praeterea nihil fecit; idem Minerva. Quare, ista res si eam potuit κακὸν efficere, quidni τεῦξαν? Ipse enim Iupiter longius abest, quam ut ei hoc imponere oneris possimus. Sed interponamus haec:

40) Hoc καλὸν κακὸν ἀντ' ἀγαθοῖο malim interpretari: *effecerat non bonum, quale, quicquid pulchrum est, suspicari licet, et quale hoc etiam antea fuerat, sed malum*, quam ut ἀντ' ἀγαθοῖο dictum sit, ut supra ἀντὶ πυρός: quanquam et Buttmannum, clarissimum virum, ita sentire video, et idem Graevius, interpunctione post vocem κακὸν facta, videtur iudicare voluisse.

ἐν δ' ἄρα οἱ στήθεσσι διάκτορος Ἀργειφόντης
ψεύδεά τ' αἱμυλίους τε λόγους καὶ ἐπίκλοπον ἦθος
τεῦξε κ. τ. λ.

clara et lucida continuo erunt omnia; Mercurius cum Pandoram, a Vulcano et Minerva omni venustate instructam, vitiis admixtis malum reddidisset (τεῦξε κακὸν ἀντ' ἀγαθοῖο), in deorum eam coetum adduxit, et omnes

θαῦμα δ' ἔχ' ἀθανάτους τε θεοὺς θνητούς τ' ἀνθρώπους,
ὡς εἶδον δόλον αἰπὺν ἀμήχανον ἀνθρώποισιν.

Quare, cum non minus sint versus isti Theogoniae accommodati, quam Ἔργοις repugnantes, neminem fore credo, quin coniecturam nostram verisimillimam esse iudicet.

Sed ab his fabulis, quas alienas et inculcatas esse, cum solidum et omnibus membris iunctissimum corpus quasi per vim cuneatae diffindant, facilius deprehendimus, tempus est ad illam redire singularum sententiarum turbam, quam a maiore quodam iis incluso corpore supra iam distinximus, finibus obiter constitutis. Sed alia nobis dehinc utendum ratione est, si qua sive dirimenda sive coniungenda convincere volumus. Nam abruptam demonstrare sententiarum continuitatem, id, ubi nihil cohaeret, et

inutile est et adeo factu difficile. Quamdiu solida quaedam nobis quasi massa proposita esset, tamdiu lineae nobis et venae, quibus illa quasi distincta erat, diligenter persequendae fuerunt: quod cum faceremus, non potuit, si quis olim hiatus aliena materia expletus esset, subtrahere se oculis nostris. Nunc ante magnum quoddam quasi stratum consistimus, variis saxorum ruderibus concretum et conglutinatum, maioribus, minoribus, plerisque non dignis, quae singula accuratius perlustrentur: sed in his una vel altera ingenti ambitu moles eminet, quam purgare particulis adhaerentibus et per se solam spectare operae pretium esse videtur. Eiusmodi moles est continua ista, quam supra iam significavimus, de agricultura et de navigatione praeceptio, singulis dictis res alias tractantibus utrimque circumdata, a quibus ut puro claroque discrimine secernatur, quoniam, quae minus apte cohaerent, facilius percipimus, si illuc ab iis, quae inter se iuncta sunt et conclusa, devenimus, (quasi adsuetus ordini et consequentiae animus iis, quae inde abhorrent, vehementius concutiatur,) optimum erit, ab eius partis, quam continuum corpus efficere facile suspicamur, quasi arce et medulla utroque proficiscentes notare, ubi quid iam minus ab ea pendere

incipiat. Ita consistendum tibi reperies ab altera parte in v. 382, ab altera in v. 693, sed ita, ut hic v. 694, illic vv. 381 et 382. tanquam siti in confinio sint. Hos quidem:

381. Σοὶ δ' εἰ πλούτου θυμὸς ἐέλδεται ἐν φρεσὶ σῇσιν,
ὧδ' ἔρδειν· ἔργον δὲ τ' ἐπ' ἔργῳ ἐργάζεσθαι.

compagis causa fortasse interpositos, et ad priora et ad hanc partem trahere licet, sed ita ut, huic annumerata, ab illis seiungantur. Recte igitur, qui hoc opus in duos libros distribuunt, (quod etsi faciunt, Graevio et Heinsio iure obloquentibus, agnoscunt tamen hoc ipso huius partis et eorum, quae antecedunt, differentiam,) novum librum a v. 383. incipiunt. Facilius etiam ab altera parte conclusa oratio in oculos cadit. Versum enim 694. cum tanquam in confinio situm esse dicerem, Heinsianae recordabar interpretationis, qui hoc praeceptum, μέτρα φυλάσσεσθαι, illustrari putat τοῖς μέτροις πολυφλοίσβοιο θαλάσσης, de quibus v. 648. dictum est. Sin magis universe et generatim accipis de *modo tenendo*, ut Graevius explicat connexu postulante, maior non relinquitur affinitas, quam quae ad minuendam mirationem sufficit, quod,

cum de cautione in navigando adhibenda sermo fuerit, de uxore ducenda praeceptum sit adiunctum: quod qualibus confirmetur rationibus si attendis, intelliges, quam sit ab antecedentibus disiunctum; nullae sumuntur a rebus rusticis; virginem ducere iubet,

ὥς κ' ἤθεα κεδνὰ διδάξῃς.

prudentia uti in eligendo, ne te ἴφθιμόν περ ἐόντα crudae tradat senectae. Longe aliter, cum de servo eligendo praeciperet v. 444. An in hoc commissus error ad agriculturam minus refert? Quid est igitur, cur huius generis damna minus ei obvia sint, sed versetur in communibus? Aeque illa fuissent quam v. 444, si idem animo, ad quod cuncta referret, obversatum esset. Iam quae sequuntur, toto genere diversa sunt [41]).

Non curandos esse arbitror, si qui levi et externa similitudine ducti et, qua quidque mente dicatur, negligentes, quoniam laboris et operum saepius mentio facta est, (ut cum Persen a litigando ad industriam traducere vellet,) ideo pingui quadam minimeque accurata interpretatione carminis defendere unitatem conantur.

41) Versum 700:

τὴν δὲ μάλιστα γαμεῖν, ἥτις σέθεν ἐγγύθι ναίει.

verisimile est ex v. 343. esse factum:

τὸν δὲ μάλιστα καλεῖν, ὅστις σέθεν ἐγγύθι ναίει.

Sunt autem, quae contra sententiam meam proferri possint, quaedam alia paullo magis speciosa, sed ea, ut opinor, non minus infirma. Videmus enim, orationem nonnunquam ad Persen converti (ut v. 396, 611, 633); unde fortasse erit, qui huius partis cum ea, quae proprie ad Persen hortandum docendumque pertinet, coniunctionem colligendam esse ducat. Hos autem versus si urgendos putarem, ipsos potius adhiberem, ut haec alio tempore, quam illa, vatem docuisse ostenderem; illic, novis intentis litibus, ut rem augeret, iram fratri movisse videtur Perses, hic, ad egestatem adductus, a fratre auxilium petiisse. Firmius autem argumentum est, quod universalia sunt quaecunque hac parte praecipiuntur, nec solum Persen respiciunt, sed omnes,

οἵτε θαλάσσης
ἐγγύθι ναιετάωσ᾽, οἵ τ᾽ ἄγκεα βησσήεντα
(v. 389).

et quod nullum usquam peculiaris cuiusdam ad hanc praeceptionem ingrediendam impulsionis vestigium conspicitur. Quod cum nulli dubium esse possit, abstinebo a talibus locis accuratius inquirendis, neque exagitabo, quam foret ridiculum, si, quem v. 404. monuisset, ut ad debita

solvenda adiiceret animum, eundem v. 405. prospicere iuberet

*οἶκον μὲν πρώτιστα γυναῖκα τε βοῦν τ' ἀροτῆρα,*

quique domo careret, ei praescriberet v. 611:

*ὦ Πέρση, τότε πάντας ἀπόδρεπε οἴκαδε βότρυς.*

Neque pluribus exponam, si Persae meminisset, pro otiosa in tabernis sessione, egenti viro non congrua (v. 501), commemoraturum ipsum fuisse, ut v. 30, litium et rixarum studium. Sed cum Hesiodus suos sine dubio rhapsodos haberet [42]), errare mihi non videor, si familiares iis quasdam fuisse opiniones credo de vita Hesiodi, de ingenio, de moribus eius temporibusque et casibus, quibus illum usum esse aut audiverant aut fingebant. Inde mihi, cum praecipuum inter eiusmodi opiniones locum obtinere deberet fratris erga eum improbitas, crebrae illae manasse videntur Persae mentiones, quales fere apud Theognidem Cyrni; inde saepius quaesitae quaedam sententiarum conformationes et colorum species, quae nimis nonnunquam videntur in deliciis fuisse vati; inde, ni fallor, cum, quae sibi accidissent, admisceret rhapsodus, ipsius Hesiodi personam gerens [43]),

42) Heinrich. Epimenid. p. 157.

43) Nimis hoc audacter positum non reperiet, qui

talia loca, ut vv. 633 - 640, 649 - 662, et quaedam eiusmodi alia.

Propulsato igitur primo hostium externorum impetu, aliqua nobis quies parta est, ut ad internum huius partis habitum animum attendamus. Quare, praeceptorum ordine ac dispositione paucis declarata, ostendam, quamvis a Virgilii arte absit, aliquantum tamen eam a temere conglomerata sententiarum et dictorum coagmentatione distare, nec iniuria nos hanc partem pro uno corpore habuisse, ideoque a reliquis separasse.

Duae sunt carminis partes, quarum prima agriculturam, altera navigationem tractat, solas tunc temporis victus comparandi vias. Initium fit ab iis operibus rusticis, quae plurimi refert ut recte instituantur, (solent enim de re quapiam dicturo gravissima quaeque prima in mentem venire,) tempora sua assignantur messi, sementi, arationi imprimis, quibus quidem neglectis res familiaris pereat, 383 - 404; aratio autem quia strenue perfici nequit, nisi rebus necessariis ante provisis, earum comparandarum praecepta accuratiori arationis descriptioni

considerabit, ubi dicentis persona ita ubique pelluceat, ut in hoc Carmine, ibi rhapsodi operam ab histrionis non multum distare potuisse.

praemittuntur, v. 405-407; ostenditur quaenam sint illae, v. 405-409 (serva, taurus, instrumenta agraria); quomodo parandae, 410-431 (suo quaeque tempore; nihil enim unquam differendum, 410-413; sub aestu cadente lignum caedendum ad varia inde instrumenta conficienda, 410-431); quales esse debeant, 431-447 (aratra duo, 431-436, bos arator novem natus annos, 436-440, servus quadraginta annos, 441-447). Quibus expositis, quae quidem ab arationis docendae consilio pendere vv. 451-457. satis declarant, arandi rationem tradit: arationem incipiendam esse, cum prima gruis vox audita sit, tumque pro viribus accelerandam, 448-461, terque repetendam, 462-464; quomodo ea fungendum, 465-472; qui recte factae successus, 473-478; quae serius institutae damna, 479-482, eorumque aliqua remedia, 483-490. Ita cum uberius tractavit, quod omnium maximum est, reliqua negotia, ad anni tempora distributa, brevius perstringit. Praecedit admonitio temporum diligenter notandorum, et cum unum adsit, respiciendi cetera, 491-503; deinde singula recensentur; sunt autem haec: hiems, a solstitio usque ad Arcturum orientem; aptis se vestimentis agricola contra tempestatis iniuriam muniat, v. 504-563:

ab ortu Arcturi usque ad Pleiadum ortum; vites amputandae, 564–570: ab ortu Pleiadum ad scolymum florentem; metendi tempus, 571–581: a scolymo florente usque ad ortum Orionis; tempus fervidum, ubi genio indulgere licet, 582–596: ab oriente Orione usque dum in medium coelum assurrexerit; triturae tempus, qua finita fructus diligenter reconduntor, v. 597–608: ab eo tempore, quo in medio coelo Orion lucet, usque ad Pleiadum obitum; vindemia, 609–614: post Pleiadum obitum; tempus arandi, 614–617.

Peracta agri colendi doctrina, venit ad illustrandam navigandi rationem, et primum quidem designat tempus, quo navigatione sit abstinendum, v. 618–630; deinde tempora ad navigandum apta constituit, v. 663–686; tutissimo mare tentari ait quinquaginta dies post solstitium aestivum, v. 663–677; aliam esse vernam navigationem, illam sibi minus probatam, v. 678–686. Finem facit admonitione, ne omnia tua navibus committere velis; incommodum esse plaustrum nimis onustum frangi; undis interire quanto maiorem calamitatem, 687–693[44]).

44) Verum est illud in Supplementis Sulzerianis dictum (p. 63), magnam curam ab Hesiodo definiendis temporibus impendi; cuius tamen rei cau-

Si pro uno et toto habendum est, quod rem propositam ita ab omnibus partibus absolvit, ut eius absolvendae consilium non agnosci non possit: quid est, quod magis habendum videatur? Ordo est simplicissimus ac talis, qualem natura ipsa praebuerit. Duobus tantum in locis te gravius offensurum esse arbitror; quorum alter constat versibus 507–535, interpolatorem sic redolentibus, ut nihil supra. Vide ieiunam illam Boreae descriptionem, v. 508 et seqq. [45]; vide insulsissimam illam earum rerum enumerationem, quae vento non perflentur, v. 515–522 (inter quas miror memoratos non esse illos Ulyssis θάμνους, τοὺς μὲν ἄρ' οὔτ' ἀνέμων διάει μένος ὑγρὸν ἀέντων, Od. ε. 478); vide illum ex Oedipodis aenigmate τρίποδα βροτὸν, v. 533. Non minus mihi haec inepta videntur, quam propter quae summus Ruhnkenius *iugulavit* v. 546–551; qui longius fortasse monent extendendam suspicionem. Alter est a v. 631 ad 662, quos versus ita mihi persuasum est non esse recensionis nostrae, ut in argumento exponendo respicien-

sam rectius, credo, inde repetemus, quod aut nihil tum praeterea esset praeceptorum valde indigens, aut nulla alia in re tenenda versuum et numeri auxilio ita opus esset memoriae, quam quod propter Persae ingenium dissolutum ordinisque negligens hoc ita fieri necesse fuerit.

45) Conf. Scut. Herc. v. 376.

dos eos non crediderim. Cum versu 630. si coniunguntur v. 663 et seqq. sententiae optime procedunt. Pleiades, inquit, cum *oceano properant se tinguere*, cave ne te committas navibus (618–629); quinquaginta autem post solstitium dies tempestiva navigatio est (633 et seqq.). V. 631 et 632:

*καὶ τότε νῆα θοὴν ἅλαδ' ἑλκέμεν, ἐν δέ τε φόρτον*
*ἄρμενον ἐντύνασθαι, ἵν' οἴκαδε κέρδος ἄρηαι,*

variam praebere lectionem videntur versuum 671–673:

*— τότε νῆα θοὴν ἀνέμοισι πιθήσας*
*ἑλκέμεν ἐς πόντον, φόρτον δ' εὖ πάντα τίθεσθαι·*
*σπεύδειν δ' ὅττι τάχιστα πάλιν οἶκόνδε νέεσθαι.*

Illis quae adiuncta sunt v. 633–640, ex eo fonte profluxisse videntur, quem paullo ante indicavi, ex opinionibus videlicet rhapsodorum de Hesiodi vita et natalibus. Nisi forte Velleio Paterculo fides habenda est, Hesiodum ipsum, cum vellet vitare, ne in id, quod Homerus, incideret, patriam et parentes esse testatum. A versu, qui sequitur, 641:

*τύνη δ', ὦ Πέρση, ἔργων μεμνημένος εἶναι*
*ὡραίων πάντων, περὶ ναυτιλίης δὲ μάλιστα.*

novum quodammodo impetum sumit carmen. Exorsos ab iis quosdam crediderim haec de navigatione praecepta loco versus 618:

Εἰ δέ σε ναυτιλίης δυσπεμφέλου ἵμερος αἱρῇ.

Vv. deinde 643–646. ex eorum numero videri possunt, qui *πίνῳ venerandae vetustatis signati* sunt [46]); ab illis autem inde versibus:

δείξω δή τοι μέτρα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης,
οὔτέ τι ναυτιλίης σεσοφισμένος, οὔτέ τι νηῶν.

Plutarcho etiam, testante Proclo, improbatis, usque ad v. 662. quae sequuntur, non dubito quin originem habeant eam, quam supra significavi. Supposititia, praeter Guietum, sagacissimum virum, et cui iure Ruhnkenius in his olfaciendis tribuit *odoram canum vim* [47]), Heinrichius etiam iudicavit [48]), cui plurimum aliquando Hesiodus debebit, ut Scutum Herculis iam nunc debet. Nec ea intelligo quomodo pro genuinis habere potuerint, qui in certamine illo Euboico Hesiodum dicebant huius partis principium cecinisse:

Πληϊάδων Ἀτλαγενέων ἐπιτελλομενάων κ. τ. ἑξ. [49])

46) Wolf. Proll. p. XLII.
47) Ep. Crit. I. p. 47.
48) Epimenid. p. 148.
49) Vid. Certamen Homeri et Hesiodi p. 486. Loesn.

ad quod certamen cum hi versus sine dubio et revocandi sint et ab illis revocarentur, (quare versum 657. erant qui ita legerent:

ὕμνῳ νικήσαντ' ἐν Χαλκίδι θεῖον Ὅμηρον.)

quomodo in eo carmine, quo victoriam comparatam esse existimabant, credere potuerunt, eiusdem victoriae mentionem esse factam? Sed crediderint: non dubito tamen fore, ut de hac interruptione orationis optime cohaerentis molestissima in meam eatur sententiam.

A versu inde 694. usque ad 768. singulae, ut dixi, sententiae subsequuntur. Versu enim 769. Guieto assentior dierum faustorum et infaustorum incipere doctrinam, continuum rursus opus, cuius et initium et exitum luculenter satis declarat v. 769:

αἵδε γὰρ ἡμέραι εἰσὶ Διὸς παρὰ μητιόεντος.

et v. 822:

αἵδε γὰρ ἡμέραι εἰσὶν ἐπιχθονίοις μέγ' ὄνειαρ
κ. τ. λ.

Vulgo quidem ante v. 764. index reperitur eiusmodi:

ΗΣΙΟΔΟΥ ΤΟΥ ΑΣΚΡΑΙΟΥ ΗΜΕΡΑΙ.

sed iure ille a Graevio expunctus. Vv. autem 764–768. Guietus spurios iudicat; ego, ut de

Philostratus Heroic. p. 194. Boissonad. (Dresigius de Rhaps. p. 16.)

v. 381, 282 et 694. supra vidimus, compagis causa huc locatos arbitror. Quanquam maior illi dierum faustorum enumerationi cum sententiis proxime praegressis coniunctio est, quam quae quatuor istis versibus necti possit; non ea quidem, ut minus ab iis separandam et per se spectandam esse censeam, id quod in singulis quoque dictis faciendum censeo; sed quod pariter sunt mystica quadam tinctae superstitione, quae ab reliquarum partium claritate et incorrupta sanitate non parum distat. Secundum hominum dignitatem vel felicitatem deos iis tribuere didiceramus, qui iustitiam colerent, atque opere suo strenue fungerentur (v. 300, 309), vel poenas irrogare sceleri et flagitiis (v. 334); pure casteque venerando (ἁγνῶς καὶ καθαρῶς, v. 336.) et verecundis precibus, ubi rem maiorem moliremur (v. 465), eorum conciliari benivolentiam, non obscuris quibusdam et arbitrariis religionibus. Quare, cum ad v. 724. inter legendum pervenio, non iam Hesiodum mihi audire videor, sed Orphica quendam aut Bacchica [50]) vel alius arcani sodalitii doctrina imbutum. Plures etiam scrupuli iniiciuntur, ubi video messi, sementi, triturae, ligno caedendo, navi in mare trahendae certos assignari dies

50) Herodot. II. 81.

(v. 775, 781, 805, 807, 817). De omnibus his negotiis copiose supra disserebatur, iisque tempora describebantur apta; sed fausti diei opperiendi ubi ulla unquam mentio? ubi ullus de certorum dierum praestantia sermo? Quin ipsa dierum mensis cuiusque numerandorum ratione nunquam est usus antea; unum tantum mensis nomen occurrit, Ληναιὼν, idque loco, ut antea indicavi, dubio, v. 504; reliqua tempora vel siderum statu vel aliis rebus signantur, ut v. 448: εὖτ' ἂν φωνὴν γεράνου ἐπακούσῃς, v. 486: ἦμος κόκκυξ κοκκύζει, v. 571: ὁπότ' ἂν φερέοικος ἀπὸ χθονὸς ἀν φυτὰ βαίνῃ, v. 582: ἦμος σκόλυμος ἀνθεῖ. Semel tantum dies numerantur, sed non ex mensis cuiuspiam initio, sed ex solstitio, v. 564: εὖτ' ἂν ἑξήκοντα μετὰ τροπὰς ἠελίοιο χειμέρι' ἐκτελέσῃ Ζεὺς ἤματα. Iam vero si ita tritus mos est dierum per menses digerendi, ut iis fuerit necesse est, quibus haec data praecepta sunt, altera illa temporum describendi ratio interire solet. Documento sunt rustici nostrates, qui ad Quatembres, quos dicunt, aliosque dies calendariis descriptos, ipsaque festa paschatis et pentecostes, quorum alia aliis annis tempora sunt, rationes suas componunt, siderum nullam curam habent. Illae denique dierum appellationes: ὀγδοάτη ἀεξομένοιο (773), seu

ἱσταμένοιο (780), ἕκτη ἡ μέσση (782, ubi notandus etiam videtur articulus), τετρὰς μέσση (795.), φθίνοντός θ' ἱσταμένου τε (798.) etc. nonne testari illum seriorem Thebanorum annum videntur, ab eo, quo Hesiodi aetate Boeoti utebantur, diversum [51]), quippe qui initium capiebat μετὰ τροπὰς χειμερινάς? adde, qui nullum agnoscebat μῆνα Ληναιῶνα [52])?

Haud sum ignarus, multa esse, quae opponi his possint: quae ut refellere queam, non libet pluribus persequi., a quibus persequendis meum me revocat institutum. Id enim omnes mihi arbitror facile concessuros, tum eam partem, quae de diebus faustis eligendis agat, ipso proposito ita a reliquis abhorrere, ut, cum et unum per se corpus efficiat, nec ullis vinculis cum antecedentibus colligatum sit, ab iis videatur secernenda, tum eas sententias, quae versibus 724–759. continentur, coloris esse ita a ceteris diversi, inter se autem similis, ut, quanquam argumento non magis inter se cohaereant, quam cum ceteris, propter eam tamen proprietatem inter se iungendae videantur, ab illis separandae.

51) Ut demonstrat Ios. Scaliger de Emend. tempp. p. 52.

52) Vid. Hesych. s. v. Ληναιών, Scalig. l. l. et Cleric. ad h. l. Videndum autem, ut supra monui, an in dubium sit vocandus versus 504.

Pervenimus igitur iam ad finem operis huius, ut fertur, Hesiodei, quod ex veneranda vetustate ad nos delatum etsi multi laudarunt, vereor tamen, ne non multos adhuc aut aestimatores, quales postulat, aut lectores invenerit. Quorum in numerum nec eos referendos esse censeo, qui, singularum sententiarum veritate ac venustate contenti, de coniunctione earum deque toto omnino non laborarunt, nec qui ingentis eruditionis artisque impendio consilium vati affinxerunt ab ipsius simplicitate alienissimum: quos cum lego, videor mihi non tam interpretes audire Hesiodi, quam antiquae eius laudis defensores, a multis clam addubitatae, etsi palam impugnare non auderent. Nam quod egregie et verissime Ruhnkenius de singulis interpolationibus dicit [53]): *Etiamsi carmen aliquod cunctis ingenii doctrinaeque luminibus frequentatum sit, tamen languidum fieri, frigidum, ieiunum; retardari divini ingenii cursum, ipsa rerum argumenta turbari ac perverti, omnem denique leporem et elegantiam perire;* id magis etiam evenire mihi videtur, si, quae natura diversa sunt iunctis, modo ad hanc partem trahimus, quod deinde ad illam referendum sentimus, modo explicare non possumus, quo quid pertineat et quo consilio

53) Epist. crit. I. p. 5.

dictum sit, modo de reperiendo connexu desperamus, modo nullum esse iudicamus, modo ad eum quaerendum denuo impellimur. Retardatur impetus, qui in parte aliqua inest, cum alienis interpositis animus distrahitur; vis diluitur ad ea translata, quae nec ad augendam eam nec ad retinendam quicquam valent; praesertim cum nec illius generis, de quo Ruhnkenius disputavit, plurimae labes desint. Lux quaedam oborta est his litteris Wolfii, summi viri, uberrima eruditione et divino ingenio, magis fortasse illa Hesiodo necessaria, quam ipsi Homero. Sed non multum inde in Hesiodum redundavit, excepto Theogoniae prooemio, cuius rationem prosperrimo cum successu expedivit sagacissimum Hermanni acumen. Non enim arbitror satis esse, si potuisse plura carmina connecti, potuisse multa interpolari, potuisse corrumpi intelligatur; opus est, credo, ut, quae sint in unum redacta, indagetur, quae corrupta, quae interpolata. Ad hanc igitur indagationem conferre aliquid pro parte virili volui, iamque probasse mihi videor, Hesiodi Operibus et Diebus maiora carmina quinque comprehendi: epica duo, I. fabulam de Promethei cum Iove certamine, v. 42–105, II. fabulam de cadentibus per certas aetates hominum

moribus et felicitate, v. 108—203: didascalica tria, I. exhortationem, qua ab iniustitia et inertia frater revocatur, v. 10—41, 202—326, II. praecepta de victu quaerendo agricultura et navigatione recte institutis, v. 383—693; III. dierum faustorum et infaustorum doctrinam, v. 724—828; praeter illa autem maiora carmina, singulorum dictorum magnam vim, quibus illa circumdata sint et quodammodo innatent; quae propter colorem diversum in duas distribuimus partes: I. 327—382, et. 694—723; II. 724—764, quae sunt mystica quadam superstitione insignia.

Quod reliquum est, velim ut antiquo carminis habitu, quantum assequi licet, ipso lectorum oculis subiecto, possim rationes hoc libello expositas confirmare. Nam in hoc etiam genere illud verum est, *segnius irritant animos demissa per aurem, Quam quae sunt oculis subiecta fidelibus.* Nec deterreret me ab eo consilio verissima illa quidem summi Hermanni vox: *In huiusmodi carminibus criticum in eo débere consistere, ut quoad fieri possit, singularum partium indicia eruat; nunquam autem eo posse perveniri, ut pristina illarum partium forma restituatur* [54]. Quod etsi

54) Epist. ad Ilgen. p. IX.

fateor, arbitror tamen, etiam qui textum adornare ad ista, quae sibi eruisse videatur, indicia audeat, defendi vel ipsa Critica iudice posse, dummodo meminerit quo in campo versetur, et quales inde fructus possint colligi. Quisquis enim sese continet intra certae explorationis fines, ei concedimus, quoniam veritas una est, nec est a quoquam postulandum, ut cum nullius sibi erroris conscius sit, errasse tamen se existimet; ei igitur largimur, ut exploratis suis aut summoveri velit reliqua, si id fieri possit, omnia, aut nullam aliam ob causam retineri, quam ut sibi sint argumento et testimonio. Ad obscura et ambigua indicia operam qui dirigit, eum recordari oportet, ad summum probabilia se invenisse, quibus non modo semper praecedere, quae vera et certa sunt, sed ne alia quidem aliis fortasse probabiliora cedere debeant. Id autem si quis confitetur et prae se fert, cur experimentum ei sic facere non liceat, ut in textu etiam instruendo rationes illas teneat minus firmas? An vero id fieri operae pretium sit, ea alia quaestio est, partim ex probabilitatis, quam assequi licet, gradu iudicanda, partim ex fructu, quem scriptoris inde lectio capere possit. Critici enim munera etsi referenda non sunt ad inoffensam lectionem, sed ad ve-

ram auctoris manum indagandam, tamen indagari ubi manus ista nequeat, nescio an alia quaedam veritas quaerenda sit, quae non eo contineatur, ut vocabula eadem sint, sed ut eodem modo legentium animi afficiantur. Quare, si in carmine, quod satis cohaerere intelligitur, quaedam demonstrari partes possent ab alio esse illatae, sed eae ad totum necessariae, non magis eas eiici velles, quam pro statua satis commode instaurata fragmentorum acervum videre, detractis quae deficientibus membris substituit posterior artifex. Idem si copulata videres signa non congruentia, si trunco virili muliebre impositum caput, malles ea vel cum erroris periculo ad coniecturam de auctoris consilio captam composita esse, quam talem facile perferre adspectum. Similis carminum Hesiodeorum ratio est. Et hoc etiam nomine veniam fortasse impetrarem, quod ad explicandam sententiam non minus mihi tribuendum videretur, quam tribuitur iis, qui, cum ad antiquam regionis alicuius speciem illustrandam tabulas geographicas componunt, in multis necesse est coniecturam sequantur. Sed prohibuit me partim quod ridiculum videbatur, cum multis adhuc vitiis textus vulgatus scateat, quae quidem tollendi si facultas esset, subsidia dees-

sent, ad remotiorem velle aetatem progredi; partim quod locorum quorumdam, quae aut interpolatione aut pluribus recensionibus in contextum receptis corruptelam traxerunt, non satis mihi expedita ratio erat: quibus neglectis, quod vellem assequi, tamen non poteram. Quae, ut multa praeterea, quae morantur adhuc τὸν Φιλησίοδον, utinam mox explicare velit, cui et multis aliis nominibus debeo plurimum, et, si quid ego in his videbor recte vidisse, acceptum est referendum.

---

# EPIMETRUM.

Pag. 15, in Hesiodi versu 40, melius erat cum hiatu scripsisse οὐδὲ ἴσασιν, nec minus ita scribendum est v. 814, αὖτε ἴσασι. Verum exhibuit loco utroque Brunckius, sed ob causam non veram. Quod legitur Erg. v. 824 παῦροι δέ τ' ἴσασι, ne quis forte corrigendum putet, aut malit defendere, quo consuetis naevis colorem inducat, dicendum est, ferri id quidem posse in versu ignavo et minime Hesiodio. Idem est et aeque certum iudicium Heynii de Homerico versu Il. VI, 151. At Od. XI, 124 et XXIII, 271 adhuc per omnes Editiones vulgatum, τοίγ' ἴσασι, omnino videtur corrigi debere.

P. 25, in v. 268, αἴκ' ἐθέλῃσ', ἐπιδέρκεται. Haec vulgaris est ratio scribendi in Edd. et MSS., sed vitiosa. Quid? quod idem vitium inveteratum reliquit emendatissima recensio in Iliade, VI, 281. Aliud est ἔλθῃσ' ἐς πόλεμον, Il. V, 132. Illis duobus locis vehementer flagitat ratio, ut scribatur ἐθέλῃ.

P. 35, v. 320, recte et consulto, non fortuito, exscriptum θεόσδοτα, neque omnino imitamur hunc novum scribendi morem, quo non solum θεόσδοτα accepimus in libris Graecis, et composita innumera, ut ὅστις,

ὥsπερ, προsέειπεν, inculcato in media vocabula sigma finali, quod ne in fine quidem vocabulorum uspiam reperitur in Codicibus meliorum aetatum, sed novos etiam errores ac miras species vocabulorum, velut λαοsσόος in novissima Iliade Lipsiensi, et οἶsθα, Od. XVI, 320, et haud scio an aliis locis; quin adeo in Lexico Critico locupletatam hodie habemus Graeciam formis talibus, κυνοsσόος, πρόsσοθεν, aliisque pluribus, *in quibus est interdum, quod cogitantem turbet non parum.* Vide Lexicon Schneideri suis locis, et Wolfii Praefat. ad Odysseam p. IX. Monitum erat de hac re in Commentatione Kiliensi de Platonis loco corrupto: sed malum hoc est, multos habens et graves auctores, quod saepius monendo posse caveri velimus ne latius dimanet, ac plures etiam inquinet nitidissimos libros.

Ibid. v. 304, εἴκελος ὀργὴν scrib. cum Ruhnkenio, Brunckio et, qui a se item correxit, Wakefieldio.

P. 41, in Theogoniae v. 562, relictum δ' ἤπειτα, et post paullo αὖθις, utrumque ex vulgatis exemplis. Nec posterius hoc mutavit Brunckius, illud prius mutaturus, si versum retinuisset. V. ipsum in Not. ad Aristoph. T. II. p. 226. Sed cum Criticam, salutarem in rebus parvis, in magnis atrocem, non minus ad Theogoniam, quam ad Erga, adhiberet, eiecit illos tres versus Theogoniae in ea recensione, quam ab ipso perfectam et post mortem eius in celebri quadam bibliotheca repositam nos liberali amici cura possidemus.

P. 44, versu Erg. 68, corrig. Ἑρμείαν, pro Ἑρμείην, quo ipse non erat offensus Brunckius. Atque idem

hunc versum edidit sine ulla interpunctione, ut priores editores: nunc interim positum est comma post ἤνωγε, ut habeamus διάκτορον Ἀργειφόντην, magno quidem exemplo in Odyssea I, 84. Longum est, neque huius loci, explicare, quid intersit ex grammatica ratione inter epitheta, quale est ἐΰσκοπος, et coniuncta, velut haec, διάκτορος et Ἀργειφόντης, et causam cuique intelligenti probabilem enarrare, quare ita distinguere necessarium sit: διάκτορον, Ἀργειφόντην.

P. 50, v. 699, ὥς κ' ἤθεα κεδνὰ διδάξῃς. Legendum certissima emendatione: ἵνα ἤθεα κ. δ., quomodo affertur hic versus ab Aristotele, Oeconom. p. 278. G. ed. Lugd.

P. 57, v. 632, ἄρμενον ἐντύνασθαι, ἵν' οἴκαδε κέρδος ἄρηαι. Hic quoque corruptus est versus seu fastidio seu ignorantia hiatus. Legendum haud dubie: ἄρμενον ἐντύνασθ', ἵνα οἴκαδε κ. ἄ. Elisio est αι diphthongi ex genere illo, quod nonnisi quatuor locis apud Homerum observasse se ait Godofr. Hermannus ad Hymn. in Merc. 133, ex Iliade omnibus. Sed hic numerus augeri poscit. Il. XXII, 417 hoc positu est ἐκέσθ'. Et VII, 353 sic elisam diphthongum sciens induxit Aristarchus, cum scribebat ἐκτελέεσθ', testimonio Scholii Veneti. Od. XVII, 196 σκηρίπτεσθ'. X, 385 λύσασθ', rursus Aristarchi, ex fide Schol. Harleiani. Scut. Hercul. 218 φράσσασθ'. Quanquam hoc nobis exemplum ereptum ivit Hermannus, ad Lithica 442, eo quod emendaret φράσσασθαι, nimirum ut ἐκεὶ οὐ contraherentur. Verum hic error est putantis, eas syllabas

ubique contrahi oportere: quod minime verum est. Vide Iliad. VII, 196. Od. I, 297. XVII, 451. XVIII, 355. Postremo nunc alind accedat Hesiodium istius elisionis exemplum in Ergis, sed sordibus corruptelae occultatum usque adhuc, v. 800, ἐν δὲ τετάρτῃ μηνὸς ἄγεσθ' εἰς οἶκον ἄκοιτιν. Sic verissime Trincavelliana ex MSS. Venetis, ad quos illa tota facta est.

P. 61, v. 571, ἂν φυτὰ retentum ex libris, quod Iliad. XXI, 258 expressum est ἂμ φυτά, ut Il. XI, 172 κὰμ μέσσον, et Od. XX, 2 κὰμ μὲν, ex Reizii praeceptis in libro de Prosod. Gr., vel, si mavis, Bentleii in Resp. ad Boyl. p. Lips. 414. Quibus se opposuit nuper doctissimorum unus Grammaticorum, colligens rationes pro scriptione ἀμφυτά. Nempe praepositionem seiunctam non posse accentu carere, duntaxat perspicuum est. De reliquis duabus scripturis utra sit melior, superest arbiter non contemnendus, summus Aristarchus, apud Etymol. M. p. 81, v. ἀμβωμοῖσιν, quo cum loco alter est coniungendus ibid. p. 93, v. ἀμφόνον. Ac sane de his orthographicis rebus passim tam multa habet ex antiquissimis hausta fontibus Etymologicum Magnum, ut, si probe haec explorentur et veteres exaudiantur doctores, non dubium sit, posse plerasque componi de hoc genere difficiles controversias.

P. 61. post med. notabilis locus est opportuno usu constructionis Latinae, *mos dierum per menses digerendi*, et iterum, *illa temporum describendi ratio:* quam cum docti norint esse satis Latinam et locis non paucis quadrandae orationi necessariam, miror,

eam vulgo adeo et olim esse neglectam et etiamnum negligi a scribentibus Latine, ut ne apud illos quidem, qui omnium maxime Tulliane loqui videntur, aut volunt videri, usquam me legere meminerim. Exempla constructionis sat multa suppetunt e scriptoribus optimae aetatis, Terentio, Cicerone, Livio, eaque, praeter viros doctos indicatos ad Sueton. Oct. c. 98, p. 230 Ed. nov. Lips., collegit Davisius ad Cic. Acad. II, 41 extr., aut potius is, quem compilavit, Lambinus ad Lucret. V. p. 709 s. Ed. Frf. Ratio est, quod in hoc duplici genitivo (*genitivos duplices* dicit Goerenzius, tanquam *διασοὺς* ᾿Ατρείδας, ut opinor,) alter, nominis, sit obiecti, alter, verbi, explicando obiecto. Nec supervacaneum erit, simul eius structurae originem monstrare; quae quidem est penes Graecos, quippe primos auctores argutae cuiusvis structurae in sermone Latino. Demosth. Olynth. II. p. 19, 3: *ὧν οὖν ἐκεῖνος μὲν ὀφείλει τοῖς ὑπὲρ αὐτοῦ πεπολιτευμένοις χάριν, ὑμῖν δὲ δίκην προσήκει λαβεῖν, τούτων οὐχὶ νῦν ὁρῶ τὸν καιρὸν τοῦ λέγειν.* Hic valde turbant nimirum et descriptores et editores, inque his nuperus Parisinus, Augerus: Reiskium feliciter sensus aliquis, non ratio vel scientia, permovit, ut quosdam audiret incorruptos Codd., quibus accedit Hafniensis unus bibliothecae Regiae, nobis collatus docta opera Thorlacii V. C. Nihil sane vulgato rectius esse potest ac magis Atticum; quod itidem Latini exprimunt: *eorum nunc non video esse tempus dicendi.* Atque hoc animadvertere non solum interest Demosthenis editorum et interpretum: ne in hi-

bris quidem doctiorum Grammaticorum nostrorum potui adhuc ullam eius constructionis notitiam reperire.

Pag. 7. lin. 11. corrig *auctori*; p. 46. l. ult. *indicare*. Alia et graviora admissa a typographo nusquam vidimus.

Tantum annotavi, dum libelli editionem accuro, precatus ὄναιο σῆς ἀρετῆς! Twesteno meo, peregregio Viro et dilectissimo, Kiliae, extremo Martio, 1815
CAROL. FR. HEINRICHIUS.

